



# PROGRAMM,

w o m i t

zu der auf Dienstag den 3. April 1849 angesetzten

öffentlichen Prüfung der Zöglinge

d e s

städtischen Gymnasiums

zu Danzig

ergebenst einladet

**Dr. Fr. Wilh. Engelhardt,**

**Director.**

---

## In h a l t.

1. Lucubrationum pontificalium primitiae. Vom Dr. Röper.
2. Schulnachrichten vom Director.

---

D a n z i g ,

Druck von Edwin Groening.

1849.



Theophili Roeperi

philol. Gedan.

***Lucubrationum Pontificalium  
primitiae.***

---

Trigeminal Neuralgia

Medical Update

—  
Treatment Options for Trigeminal Neuralgia

• Medical  
• Surgical

## **Lucubrationum Pontificalium primitiae.**

---

### **P r a e f a t i o .**

---

Religiosissimorum mortallium, qua appellatione scriptor Sallustius \*) veterem populum Romanum optime decoravit, sacerdotium amplissimum describere aggredior, opus tam exquisitae doctrinae quam subtilis iudicii capax; in quo si neque rerum copia neque sententiarum gravitate aut elegantia ad tantam summorum virorum, qui nostra memoria in antiquitate Romana illustranda versati sunt, praestantiam posse ullo modo accedere videbor, excusandum paucis est. Me enim in alia et hinc quidem aliquantum remota litterarum antiquarum parte habitantem, sicubi habito, etsi omnia, quae ad religionis vim sanctitatemque pertinerent, mirifice semper movebant, non magis mea voluntas ad haec commentanda impulit, quam paene coegit adhortatio auctoritasque non defugienda amicissimi viri, cui *συμφιλογήσας* nunquam mihi non gratissimum esse potuit. Sciunt, quibus haec studia curae cordique sunt, praeclarum illud Antiquitatum Romanarum opus, cui immortuus est conditor Guilelmus Adolphus Beckerus, ne coeptum iaceret, auctore potissimum summo viro Carolo Lachmanno continuandum ac perficiendum a redemptore traditum esse viro ei rei haud dubie idoneo, Ioachimo nostro Marquardo. Cui quum talis commendatio non minus laudi quam laetitiae esset, tamen operis, prouti descriptum extrinque coeptum a conditore est, intuens amplitudinem ac, prope dixerim, molem, quae multorum annorum laboribus sufficeret, non inutile ratus fore, si plus uni parti simul manus admotae essent, primum adhortari me pro familiaritate nostra coepit, qui per illud tempus superstitiones quasdam veterum nugas rimabar, si quid forte in libris a sua lectione semotis offenderem, quod

---

\*) Catilin. 12. Cfr. Polyb. hist. VI, 57.

ad Romanorum instituta pertineret possetque videri latuisse alios, id ne negligarem et secum communicarem; deinde vero etiam ita in partem studiorum vocare, ut, quum ipse olim theologiae operam dedisset et nunc quoque in rerum divinarum scholastica institutione versarer, eum locum, qui esset de sacris populi Romani, tractandum susciperem. Nimis ille hoc quidem benigne nec meae modestiae convenienter; idque hercule deprecandum fuit, cai non sunt ferendo humeri mei; sed, ut sum vel in renitendo mollior vel eorum fortasse similis, qui hodie maxima quaeque adoruntur, quorum exitu vix ipsi satis confidant, id mihi passus sum imponi, ut in sacerdotiis Romanis recognoscendis aliquantis per studia mea collocarem, ac primum quidem de pontificibus, penes quos omne fuit ius et interpretatio religionum, aliquid pro mea parte conscriberem, quod proximo anno in actis scholasticis prooemii loco ederetur. Et quamvis promissi mox poeniteret, tamen (sic me quoque fatale illud „sero“ obstrinxit,) quo plus absuntum recogitando temporis erat, eo minus, quae pollicitus fueram, revocare aut licebat aut, si licuisset, honestum videbatur. Obiicientibus autem illud Catonianum: „Nae tu, Theophile, nimium nugator es, qui maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare,“ satis commode reponi putabam, quod ille continuo addidit: „Petere veniam solemus, aut quum imprudentes erravimus, aut quum per pulsi peccavimus.“\*) Sperabam etiam, neque ea mihi vana spes fuit, ipsum, cuius quasi ductu et auspicio hoc periculum subiisse, opibus suis laboranti non defuturum. Quare si quae in his satis probabiliter ac pro argumenti dignitate disputata videbuntur, ea non magis meae laudi quam illius tribuenda erunt; sin de quibus secus existimabitur, quae sane vereor, ne sint futura plurima, illi integra omnia manebunt, egregie rem administraturo, si procrastinatam suae reservare doctrinae quam alterius experiri vires maluisset. Ego vero, postquam tirocinium in hoc litterarum genere ponendum decrevi, feci, quod potui; impendi strenue, quantulum vel ingenii natura trahit, vel doctrinae studiorum assiduitas paravit, vel lectionis librorum curta supellex concessit, vel denique otii viriumque tum animi tum etiam corporis non exhauserunt post officii scholastici labores necessarios sollicitudinesque ac lacrimas domesticas calamitosissimae illae, quae vix paulisper resederunt, rerum publicarum tempestates. Quotus enim quisque est, quum haud procul abesset, quin nostram rem publicam tantam amitteremus citissime, provenientibus oratoribus novis, stultis, adolescentulis,\*\*) quum effrenata licentia nihil sancti, nihil pensi habere, miscere omnia, ea demum nuper exorta libertas, turpissime profanato divino nomine, jusque generi humano debitum dictitaretur, probare autem illud Phoenicis Enniani: „Ea libertas est, qui pectus purum et firmum gestitat,“\*\*\*) patriae amantem, magistratum reverentem se profiteri, maiorum instituta non despiciati ducere, vereri, ne illa tot saeculis laudata fides Germanica iam pessimis artibus vexata ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἵοι προλιποῦσσαι θρώποντος,\*\*\*\*) id vero obsoletum atque ridiculum et hac tanta luce indignum, quin etiam criminis dandum putaretur; quotus quisque, inquam, est, qui iis temporibus animum a summarum rerum desperatione avocatum, compositum atque tranquillum in litterarum studiis desigere, oblitusque praesentium in antiquitatis memoria recolenda velut

\*) Cornel. Nep. ap. Gell. noctt. Att. XI, S. Macrob. Saturnal. I, praefat.

\*\*) Naev. ap. Cicer. Cat. mai. 6, 20.

\*\*\*) Gell. n. A. VII, 17.

\*\*\*\*) Hesiod. opp. 199.

acquiescere sustinuerit? His igitur in angustiis quum vix assuescere iis rebus licuisset, ad quas modo accessissēm, instante proferendae in publicum commentationis tempore, non habui, nisi pauca quaedam eaque satis levia, quae proponerem; et qui iam nunc de nomine, de numero, de creatione pontificum, alteraque vice de ipso sacerdotio eiusque iure et officiis scribere in animo habuissem, solo contineri nomine coactus fui, de quo varias hominum tum veterum tum recentiorum sententias ita iudicio meo examinavi, non ut ipse ad liquidum perduxisse rem, sed, si forte adhuc ignorabilem esse fatendum sit, nonnulla certe, quae cum ea quaestione ita coniuncta sunt, ut, ratione eorum habita, reliqua paulo facilius appareant, contulisse mihi videar. Quae quanticunque a peritioribus aestimabuntur, quum non is sim, qui me hic in doctorum numero duci velim, satis habebo, si modestiam nostram aequi bonique facientes his, quas damus, primitiis immaturitatis aliquid condonarint.

De orationis autem genere numquid opus est dicere? Si id quoque sanguine Martio expugnatum est, ne quid Latine scribatur, quid interest, uti bene? Qui vero sunt veteris instituti tenaciores, sciunt iidem, hunc investigandi laborem a perpetuae orationis elegantia abhorrire, multoque minus referre, ut sint verba operose structa et, ut Lucilius ait, \*)

lepede lexeis compostae, ut tesserulae omnes  
arte, pavimento atque emblemate vermiculato,  
quam ut incontaminatis veterum testimoniis res agatur, quamvis aspera et hiulce verba parum lecta concurant. Cavendum modo fuit, ne apud Priscianos offenderemus.

Quod superest, veterum auctorum de pontificibus dicta quaedam praecipua, quos locos classicos vocant, statim ab initio ponere consentaneum duximus, ne obscurum esset, quales fuerint, quorum in nomine haec nostrae lucubrationes versantur.

Scrib. Gedani m. Febr. a. MDCCXXXVIII.

### Veterum scriptorum de pontificibus loci aliquot classici.

Cicer. de legg. II, 8, 20: „Divisque aliis [alii] sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto.“ Cfr. 12, 29; „alii“ addendum videtur.

Cicer. (?) de harusp. respons. 9, 18: „[Maiores nostri] statas solennesque caerimonias pontificatu, rerum bene gerendarum auctoritates augurio, fatorum veteres praedictiones Apollinis vatum libris, portentorum explanationes Etruscorum disciplina contineri putarunt.“ Hinc Valer. Maxim. memorab. I, 1, 1, aut vice versa, si verum viderunt Ier. Marklandus et F. A. Wolsius.

Liv. hist. I, 20 de Numa rege dicens: „Pontificem deinde Numam, Marci filium, ex patribus legit, eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit, quibus hostiis, quibus diebus sacra fierent,

\*) Cicer. orat. 44, 149. de orat. III, 43, 171. Non. Marcell. v. vermiculatum p. 188. — Cicer. Brut. 79, 274. Quintilian. instit. orat. IX, 4, 113. Plin. nat. hist. XXXVI, 25, 61.

atque unde in eos sumtus pecunia erogaretur. Cetera quoque omnia publica privataque sacra pontificis scitis subiecit, ut esset, quo consultum plebes veniret, ne quid divini iuris negligendo patrios ritus peregrinosque adsciscendo turbaretur; nec coelestes modo caerimonias, sed iusta quoque funebria placandosque Manes ut idem pontifex edoceret, quaeque prodigia fulminibus aliote quo visu missa susciperentur atque curarentur. Ad ea elicienda ex mentibus divinis Iovi Elio aram in Aventino dicavit, Deumque consuluit auguriis, quae suscipienda essent.“

Dionys. Halicarn. antiquit. Roman. II, 73: τελευταῖος δὴν τῆς Νομᾶ διαιτᾶσσες μερισμὸς ὑπὲρ τῶν ἰερῶν, ὃν ἔλαχον οἱ τὴν μεγίστην παρὰ Ρωμαίοις ἱερατείαν καὶ ἐξουσίαν ἔχοντες. οὗτοι κατὰ μὲν τὴν ἐντῶν διάλεκτον ἐφ' ἑνὸς τῶν ἔργων ὁ πλάττονσιν, ἐπισκευάζοντες τὴν ἔνδινην γέφυραν, ποντίρικες προσαγορεύονται. εἰσὶ δὲ τῶν μεγίστων πραγμάτων πόλεις. καὶ γὰρ διαιτῶν οὗτοι τὰς ἰερὰς δίκαιας ἀπέταξαν ιδιώτας τε καὶ ἄλοχοντας καὶ λειτουργοῦς θεᾶν· καὶ νομοθετοῦντιν, ὅσα τῶν ἰερῶν ἄγραφα καὶ ἀνέδιστα, κρίνοντες ἀν ἐπιτήδεια τυγχάνειν αὐτοῖς φανῆ νόμουν τε καὶ ἐγινομάν. τὰς τε ἀρχὰς ἀπέταξαν, δσαὶς θυσία τε καὶ θεραπεία θεῶν ἀνάστηται, καὶ τοὺς ἰερεῖς ἀπαντας ἐξετάζοντιν. ὑπηρέτας τε αὐτῶν καὶ λειτουργούς, οἵς χρῶνται πρὸς τὰ ἰερά, οὗτοι φυλάττονται μηδὲν ἐξαμαρτιάνειν παρὰ τοὺς ἰεροὺς νόμους· τοῖς τε ιδιώτας, ὅποσιν μὴ ἴσσασι τοὺς περὶ τὰ θεῖα ἥ δαιμόνια σεβασμούς, ἐξηγηταὶ γίνονται καὶ προσηγῆται· καὶ εἴ τινας αὐτῶνται μὴ πειθομένους ταῖς ἐπιταγαῖς αὐτῶν, ζημιούσι πρὸς ἐκαστον χρῆμα ὁρῶντες· εἰσὶ τε ἀνυπειθνοὶ πάσης δίκης τε καὶ ζημίας, οὕτε βούλῃ λόγον ἀποδιδόντες οὕτε δῆμῳ. περὶ οὖν τῶν ἰερέων τῶνδε, εἴτε βούλεται τις αὐτῶν ἰεροδιδασκάλους καλεῖν εἴτε ἰερονόμους εἴτε ἰεροφύλακας εἴτε, ὡς ἡμεῖς ἀξιοῦμεν, ἰεροφάντας, οὐκ ἀμαρτησται τοῦ ἀληθοῦς. ἐπλείποντος δέ τινος αὐτῶν τὸν βίον, ἐτερος εἰς τὸν ἐκείνου καθίσταται τόπον, οὐδὲ ὑπὸ τοῦ δήμου αἱρεθεῖς, ἀλλ ὑπὸ αὐτῶν ἐκείνων, ὃς ἀν ἐπιτηδεύτατος εἶναι δοκῇ τῶν πολιτῶν. παραλαμβάνει δὲ τὴν ἰερατείαν ὁ δοκιμασθεῖς, ἐὰν εὐόρυθες αὐτῷ τύχωσιν οἰωνοὶ γενόμενοι. Creandi modus inde ab lege Domitia (a. u. 650) aliquoties mutatus est.

Cicer. de re publ. II, 14: „Pompilius..... sacris e principum numero pontifices quinque praefecit.“ De aucto lege Ogulnia (a. u. 454) et lege Cornelia (a. u. 673) numero alias dicendum.

Cicer. (?) de harusp. resp. 6, 12: „De sacris publicis, de ludis maximis, de Deorum Penatium Vestaeque matris caerimonialiis, de illo ipso sacrificio“ (Bonae Deae), „quod sit pro salute populi Romani, quod post Romam conditam huius unius casti tutoris religionum“ (Clodii) „scelere violatum est, quod tres pontifices statuissent, id semper populo Romano, semper senatui, semper ipsis Diis immortalibus satis sanctum, satis augustum, satis religiosum esse visum est.“

Incerti auctoris magistratum et sacerdotiorum p. R. expositiones ed. Huschke p. 3: „Pontifices maximi ad religionem non ad publicos magistratus pertinebant, et ceteris praeerant, nec poterat nisi unus esse, qui templo Vestae custodiae Palladii una cum sacerdote maxima praeerat.“ In verbis aliquid vitii est, sententia aperta.

Haec in praesentia satis sunt: iam de nomine videamus.

## De nomine pontificum.

Pontificum nomen unde sit ductum, non liquet, neque veterum opinionibus certiores sunt recentium conjecturae. „Pontifices, ut Scaevola Quintus pontifex maximus dicebat, a posse et facere, ut potifices.“ Sic proditum est a Varrone de ling. Lat. V, 15, 83 ed. C. O. Müller (IV, p. 24 ed. Bipont.). Quae notatio indicio est, divini humanique iuris auctorem celeberrimum septimo urbis conditae saeculo<sup>1)</sup> eius ipsius nominis, quo maxime florebat, causam et originem non habuisse a maioribus traditam et aequo ac nos hodie comminiscendo exputasse. Sed quum hodie, si a nonnullorum libidine discesseris, ars sit quaedam etymologica,<sup>2)</sup> quae via ac ratione a stirpium, ut ita dicam, radicibus per ramos surculosque verborum pedetentim escendat, ea apud veteres non hac prudentia virili, sed puerili quadam lascivia sonorum et elementorum aliquam captans similitudinem per omnem silvam velut ludibunda exsultabat; neque tamen ita temere, ut non acumine quedam et artificio, si minus ipsam vocabuli vim aperiret, aliquid saltem, quod ad rem pertineret proprium ei esset, expromeret. Scaevolae quidem commentum quid sibi voluerit, certo cognoscere non sinit Varronis breviloquentia, quae vereor ne iam antiquis quibusdam fraudi fuerit;<sup>3)</sup> sed, si quid video, hoc erat in animo, dictos esse pontifices, quasi potifices, quod

<sup>1)</sup> Q. Scaevola pont. max., Ciceronis in iure civili praeceptor (Cic. Brut. 89, 306 Lael. 1, 1), C. Mario, C. f. Cn. Carbone coss. anno urbis 672 nefarie trucidatus est; Vellei. hist. II, 62, 2. Appian. bell. civ. I, 88. Liv. hist. epit. LXXXVI. Flor. epit. III, 21, 21. Oros. hist. V, 20. Augustin. de civit. Dei III, 28; add. Cic. de orat. III, 3, 10 de nat. deor. III, 32, 80 ad Attic. VIII, 3, 6. Diodor. excerpt. de virtut. et vit. XXXVII, p. 616 Wess. — In annis urbis Romae referendis secutus sum tabulas Fischeri.

<sup>2)</sup> Arsne ea esset, in utramque partem a se disputatum narrat Varro de ling. Lat. VII, 6, 109 (VI, p. 102).

<sup>3)</sup> Plutarch. vit. Num. 9 κεκλησθαι δὲ τοὺς ποντίγικας οἱ μέν, ὅτι τοὺς θεοὺς θεραπεύονται δύνατον καὶ χριόντων ὄντες· δὲ γένος δυνατῶς ἐπὸ Ρωμαίων ὄντοςται ποτῆρες· ξεροὶ δὲ φασι πρὸς ὑπεξαιρέσαι γεγονέναι τοῦνομα τῶν δυνατῶν (vel potius cum Heraldo τῶν ἀδυνάτων), ὡς τοῦ νομοθέτου (Numam dicit) τὰς δυνατὰς ἔκτιστεν ἱερονομίας τοὺς ιερεῖς καλεῖντος, ἀν δὲ της τούτης μεῖζον, οὐ συνοφεροῦντος. Videtur prius certe interpretum genus quasi potifices dictos putasse, quos apud Varronem potifices legimus, Turnebum cum Müllero secuti, quum vulgo iterum pontifices legerentur; nec Plutarchum verisimile est scripsisse ποτῆρες i. e. potis; et similiter videri poterat dictus paricida pro parenticida, unde ille parenticida Plauti Epidic. III, 2, 13. Neutram opus est diligenter notationem; posterior tamen iuris pontificii momentum quoddam, cui totum illud dispensationum indulgentiarumque, quas vocamus, arbitrium inhaesit, cuiusque exemplum notavit Hüllmannus, Ius pontif. d. Röm. p. 76 sqq., non incallide significat, velut etiam Cicero, si modo Cicero est, irridens impuri adversarii sacrorum curam, ait, pro domo 40, 103: „quod est bonorum pontificum, monete eum, modum quendam esse religiosis.“ Priorem mysteriorum amatoribus commendamus, ut arrepto illo Varronio de ling. Lat. V, 10, 58 (IV, p. 18): „hi quos Augurum libri scriptos habent sic Divi qui potes, pro illo quod Samothraces θεοὶ δύνατοι,“ assumtisque quos Samothracum θεοὺς μεγάλους et δύνατον Dionysius Halcarnassensis antiqu. Rom. I, 69. III, 66. Macrobius Saturnal. III, 4, alii Roman perlatos memorant, quasve

penes ipsos esset summa potestas faciendi, i. e. sacrorum faciendorum; facere enim *κατ' εξοχὴν* dicuntur, qui rem divinam faciunt.<sup>4)</sup> Ac sane clarissimum pontificem maximum, patre patruoque clarissimis pontificibus maximis usum,<sup>5)</sup> probabiliter id, quod res erat, significasse, non facile quisquam negaverit;<sup>6)</sup> neque tamen eo minus falsa est, si grammaticas leges spectamus, illa Scaevolae originatio, immo plane perversa naturaeque linguae Latinae contraria,<sup>7)</sup> denique quam paragramma verius dicas, quam etymologiam.<sup>8)</sup> Quae licet postea, non solum iure pontificio cum iure civili, sed deinde etiam summa rerum sacrarum potestate cum summa imperii coniuncta ac prope confusa, ita se in hominum animos insinuaverit, ut, gliscente vulgari loquela, quamlibet potestatem vel ius vel facultatem pontificium dicerent;<sup>9)</sup> merito spreta est a Varrone, qui, posita Scaevolae sententia, haec subiecit: „ego a ponte arbitror; nam ab his sublicius est factus primum, ut restitutus saepe, quom in eo“ (sic Müllerus, codd. „ideo“) „sacra et uis et cis Tiberim non mediocri ritu fiant.“ Varroni adstipulatur Dionysius Halicarnassensis antiqu. Rom.

Tertullianus de spectac. 8 apud Circum Maximum exprobrat tres aras trinis Diis parentes magnis potentibus valentibus, quos Samothracas existimabant (cfr. tamen c. 5: „Consus consilio, Mars duello, Lares comitiis potentes“), et si quae sunt his consimilia, aeriis conjecturus sublime ferantur; habebunt enim verbum ex verbo θεουγούσ. Sed satis de hoc: Ioannis vero Lydi de mensibus liborum misere discitorum particulam eam, quae edita est III, 21, dicere vix possumus, ipsiusne scriptoris vaniloquentia turpis foedaverit, an stupor eius, qui breviavit; extremo enim loco, postquam pontificum causa de Gephyraeis Atticis, Spercheo amne, Palladio, ponte, pontilibus nescio quid balbutivit, δέθεν, inquit, καὶ πράξειργίας σῆθεν ἐκελοῦντο, ὡσανὲ τελεσται· τοῦτο γὰρ σημαῖνε τὸ ποντιφεῖς, ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ ἐν ἔργοις. Cui dicto accedit, quod poeta ait, ut nec pes nec caput uni reddatur formae; an τελεστᾶς crepat cum sua quadam facetia, quod λερογάρτας Graece non raro appellantur Romanorum pontifices? neque in πράξειργίας quid nugaram insit, intelligo, nisi forte obversabatur opificii vocabulum, scilicet ab opere faciendo tractum, ad cuius exemplum pontifici compositio, quasi δυνατεργίας cuiusdam, aptata videatur. A Klausenio in libro Aeneas und die Penaten p. 946 allatum invenimus locum, explicatum frustra quaevisimus.

<sup>4)</sup> Macrob. Saturn. III, 2. Vid. lexica, interpp. Virgil eclog. III, 77. Brisson. de formulis I, 28. Salmas. exercitatt. Plinian. p. 1221. Marini gli atti e monumenti de' Fratelli Arvali I, p. 147. 151. Graeca quoque et Hebraica lingua eam ellipsis habent.

<sup>5)</sup> Patre P. Scaevola, cfr. Cic. de legg. II, 14, 47. 21, 52. de nat. deor. III, 2, 5. pro dom. 53, 136; patruo P. Licinio Crasso Muciano, cfr. Cic. Philipp. XI, 8, 18. Gell. noctt. Att. I, 13. De utroque cfr. Meyer et Elendt ad Cic. Brut. 26, 98. Teuffel in Pauly Real-Encyclopädie d. class. Alterthumswissenschaft. V, p. 181 sqq. IV, p. 1057 sq.

<sup>6)</sup> Itaque non obloquimur Klausenio de Plutarchi verbis, quae ann. 2 attulimus, licet ipse a ponte factam denominationem probet, sic indicanti: „Daneben erwähnt Plutarch die Herleitung (des Scāvola) von potens, die dem Sinne nach ganz richtig ist, weil allerdings die Pontifex die ermächtigten Verrichter sind.“ Quamquam Scaevolam hoc voluisse credimus; Plutarchum dixisse non videmus.

<sup>7)</sup> Vid. excurs. I.

<sup>8)</sup> Luserit licet in Platonis Cratyo Socratica illa ironia, tamen prope commune veterum omnium philosophorum grammaticorumque vitium fuit, ut, etymologias dum caperent, in paragrammatismos delaberentur, facetos non-nunquam et ingeniosos, saepe absurdos et ineptos. De Graecis ut taceam, in Latinis non unum Varronem eius temeritatis merito infamari, latissimeque eam contagionem serpsisse, luculenter ostendit prudentissimum nec tamen eadem labore carens iudicium Quintilianus inst. orat. I, 6, 32—38.

<sup>9)</sup> Vid. excurs. II.

II, 73 dicendo: οὗτοι κατὰ μὲν τὴν ἑαυτῶν διάλεκτον ἐφ' ἐνδέ τῶν ἔργων διηγάπτουσιν, ἐπισκευάζονται τες τὴν ξυλίνην γέφυραν, ποντίφικες προσαγορεύονται. Eamque plurimis probatam fuisse sententiam, Plutarchus refert vit. Num. 9, ubi prolatis alterius notationis argutiis haec addit: οἱ δὲ πλεῖστοι μάλιστα καὶ τὸ γελόμενον τῶν ὀνομάτων δοκιμάζουσιν, ὡς οὐδὲν ἄλλη ἡ γέφυρα σοποιοιν τοὺς ἄνδρας ἐπικῆθεντας ἀπὸ τῶν ποιουμένων περὶ τὴν γέφυραν ἴσχων ἀγιωτάτων καὶ παλαιοτάτων ὄντων. ποντίφικες γάρ οἱ Αστῖνοι τὴν γέφυραν ὀνομάζουσιν· εἶναι μέντοι καὶ τὴν τήρησιν αὐτῆς καὶ τὴν ἐπισκευὴν, ὥσπερ ἄλλο τι τῶν ἀπινήσιων καὶ πατρίων ἱερῶν, προσήκουσαν τοῖς ἱερεῦσιν· οὐ γάρ θεμιτὸν ἄλλη ἐπάρσαντον ἡγεῖσθαι Φωμαῖον τὴν κατάλινσιν τῆς ξυλίνης γεφύρας. Ancipitem videmus rationem, nec satis appetet, a ponte faciendo an a faciendo in ponte dictos pontifices voluerint; quorum quum prius unice afferat Dionysius, Varro, si vera est Müller's emendatio, alterum quoque subiungit, Plutarchus etiam anteponit; et in eo quoque a Varrone Graecus uterque non nihil discrepat, quod hic et factum primum et restitutum saepe pontem narrat, illi ἐπισκευῆς vocabulo utentes refectionem tantum et sarta tecta tuenda iis tribuisse videntur. Ac vix poterant amplius, quum, excepta Varronis auctoritate, fere constans fama esset, Ancum Marcium regem, Ianiculo monte urbi adiecto, pontem sublicium primum in Tiberi fecisse.<sup>10)</sup> Nec effugit Plutarchum illud mirabile, pontifices, quos avus Numa instituisse ferebatur, denominatos esse a ponte, quem aliquanto post facturus erat nepos Ancus,<sup>11)</sup> isque, ut alio loco perhibet,<sup>12)</sup> quinque annorum puerulus ab illo relictus. Non expedit tamen hic nodum. Dionysius vero eam aut famae inconstantiam aut notationis falsitatem ne advertisse quidem videtur, qui, quum de pontificum collegio a Numa instituto ea, quae paullo ante retulimus, prodidisset, nimis simpliciter de Anco Marcio haec narravit, III, 45: καὶ τὴν ξυλίνην γέφυραν, ἣν ἀνεν χαλκοῦ καὶ σιδήρου θέμις ὑπὸ αὐτῶν διακρατεῖσθαι τῶν ξύλων,<sup>13)</sup> ἐπεινος ἐπιθεῖναι τῷ Τιβέρει λέγεται, ἣν ἄκραι τοῦ παρόν-

<sup>10)</sup> Dionys. Halic. III, 45. Plut. I. I. Liv. I, 33, 6. Flor. I, 4, 1.

<sup>11)</sup> Plutarch. I. I.: οὐ μὴν ἄλλα καὶ τὴν ξυλίνην τῶν Νομᾶς χρόνων ἀπολείπεσθαι λέγονται, ὅποι Μαρκίον τοῦ Νομᾶς θνηταριδοῦ βασιλεύοντος ἀποτελεσθεῖσαν.

<sup>12)</sup> Plutarch. vit. Num. 21.

<sup>13)</sup> Plutarch. vit. Num. 9: λέγεται δὲ καὶ τὸ πάγκαν ἀνεν σιδήρου κατὰ δῆ τι λόγιον συγγεγομφώσθαι διὰ τῶν ξύλων. Plinius nat. hist. XXXVI, 15, 23: „Cyzici et buleuterion vocant aedificium sine ferreto clavo, ita disposita contignatione, ut eximantur trabes sine lulturis ac reponantur; quod item Romae in ponte sublicio religiosum est, postquam Coelitē Horatio defendente aegre revulsus est.“ Dionys. Hal. antiqu. V, 34: ἣν δὲ μία (γέφυρα) καὶ ἐκείνους τὸς χρόνους (Horatii Coelitis) ξυλόφρεσκος ἀνεν σιδήρου δεσμεύνη ταῖς σανίσιν αὐταῖς, ἣν καὶ μέχρις ἔμοι τοιαύτην φυλάττουσι Φωμαῖοι. IX, 68: ἣν δὲ ἐν τῷ τότε χρόνῳ (a. u. 291) μία ξυλόφρεσκος, ἣν ἔλυντο ἐν τοῖς πολέμοις. Fuit sane omnino ferri quaedam religio, cuius exempla quaedam subitaria apponam; velut Servius ait ad Virgil. georg. I, 268: „Sane ferilis terram ferro tangi nefas est.“ Plinius nat. hist. XXIV, 4, 6 de visco: „Quidam id religione efficacius putant prima luce collectum e robore sine ferro,“ add. XXIV, 19, 111, 112. Scribonius Largus compos. medicam, 39, 152 praescripto ad calculos medicamento: „Hoc medicamentum cum componitur, pilum ligneum sit; qui contundit, annulum ferreum non habeat. Hanc enim superstitionem adiecit Ambrosius medicus Puteolanus“ etc. Quae transcripsit Marcellus Empiricus de medic. 26, fol. 122 vers. ed. Ald. Contra alii averruncandi vim ferro tribuebant; vid. Niclas ad Geopon. VII, 11. Sed in ponte illo iuxta religionem, ut ex Plinii loco alteroque Dionysii appetet, non mediocriter valuisse videtur rei militaris pruden-

*τος διαφνλάπτουσιν, οἱρὰν εἶναι τομίζοντες· εἰ δέ τι πονήσειεν αὐτῆς μέρος, οἱ ιεροφάνται (pontifices, v. II, 73) θεοπεύονται θνῶται τινὲς ἐπιτελοῦντες πατρίους. Et quominus de altero quis ponte cogitandum putet, ipse prohibuit Dionysius, a. u. 247 atque etiam 291 referens unum Romanis pontem in Tiberi fuisse sublicium.<sup>14)</sup> Grammaticus quidem nemo negabit, sine vitio dici pontifices, quorum sit pontem facere vel etiam reficere; ad eos, qui in ponte faciant, pontifices appellandos, desiderari videtur analogia.<sup>15)</sup> Nec certe compellimur auctoritate Varronis, ceteroquin ab hac artis severitate alieni, siquidem dubium est, quam recte Müllerus, expulso quod est in codicibus „ideo“, ex conjectura voculas „in eo“ receperit. Nam illud vocabulum quum nonnihil molestiae habeat,<sup>16)</sup> ne hae quidem voces cum iis, quae sequuntur, „et us et cis Tiberim“, satis apte coire videntur. Sed, utut de ea emendatione existimatur, si pons faciens erat pontificibus, a quo nomen ipsis impositum, non faciens certe erat ut fabris vel architectis,<sup>17)</sup> sed ut sacerdotibus, id est propter sacra cum eo ponte coniuncta; nam „sacerdotes universi“, ut Varro ait l. l., „a sacris dicti“; ergo consentaneum, etiam singula sacerdotia. Famae vero inconstantia in illa rerum Romanorum vetustate versantibus hodie non adeo premenda est; nec Numae Ancique annos utique fabulosos dinumerabimus,<sup>18)</sup> si modo aliis argumentis satis probari res possit. Quid, quod vel Aeneae quosdam pontificatum tribuisse invenimus?<sup>19)</sup>*

Sed ea sacra quae fuerunt? Müllerus sic scripsit: „Varronem putavi de Argeis cogitare, quos pontifices et Vestales virgines Idibus Maiis quotannis de ponte sublico in Tiberim iecisse constat. V. infra VII, 44. Ovid. F. V, 621. Festus s. v. Argei et Sexagenarii. Plutarch. Quaest. Rom. 32.“ Virginum Vestalium fuisse, stramineos illos Quirites<sup>20)</sup> i. e. scirpea hominum simulacula, quibus Argeis nomen erat, de ponte sublico iacere Idibus Maiis in Tiberim, Ovidius testatur l. l. hisce versibus:

Tunc quoque prisorum virgo simulacula virorum  
mittere roboreo scirpea ponte solet;

quem secutus est Lactantius instit. divin. I, 21, 8. Qui quod pro ponte sublico, quem in hac re

tia. Quamquam altius rem repetit Klausenius Aen. u. d. Penat. p. 945 sq., altissime Pfundius altital. Rechtsalterth. p. 22, quorum penes ipsos fides esto. Klausenio similiter Rubino Unters. üb. d. röm. Verfass. p. 215.

<sup>14)</sup> Dionys. Hal. ant. V, 34. IX, 68; vid. annot. 13.

<sup>15)</sup> Vid. excurs. III. Propugnat tamen Woeniger Sacralsyst. u. Provocationsverfahr. d. Röm. p. 146.

<sup>16)</sup> Nonnusquam sane redundare videtur, ut V, 1, 12 (IV, p. 6): „Quare fit, ut ideo fere omnia sint quadripartita.“ 4, 24 (p. 11): „Itaque ideo Lucilius.“ Sed VI, 5, 41 (V, p. 62) nescio an pro „in eo“ etiam rescribendum sit „ideo“.

<sup>17)</sup> Media et infima Latinitate sic lusum esse in hoc nomine docere possunt monachorum Benedictinorum ad ditamenta ad DuCangii glossar. s. v.

<sup>18)</sup> Non male Osenbrüggen in praefatione ad Cicer. orat. pr. Rosc. Amer. p. 46: „Den pons sublicius soll zwar erst Ancus Marcius erbaut haben; allein so lange es ein Rom gab, hat wol eine Brücke über die Tiber geführt. Cfr. Epicadi opinio ap. Macrob. Sat. I, 11.

<sup>19)</sup> Serv. ad Virgil. Aen. I, 373. III, 607. VIII, 470. 552. IX, 299; cfr. Klausen. Aen. p. 915 sq. Complura pariter ad Numam atque ad Aeneam fama referri, docte exposuit idem Klausenius p. 954 sq.

<sup>20)</sup> Sic lepide appellavit Ovidius fast. V, 631.

Epicadus<sup>21)</sup> ap. Macrob. Saturn. I, 11, Varro, Ovidius, Festus i. e Verrius Flaccus, Plutarchus II. II. nominant, pontem Mulvium posuit, clade Maxentiana tum temporis famigeratum,<sup>22)</sup> dubito, nisi quis libarius in culpa sit, accusandusne potius sit error<sup>23)</sup> scriptoris rerum urbanarum ignari et procul ab urbe habitantis, qui quod dixit: „haec sacra Vestales virgines faciunt“, non a se visum, sed auctore Ovidio retulit, an indicio habendus, ritum ad Augusti ac forsitan ad Traiani usque tempora servatum quarto ineunte p. Ch. n. saeculo iam pridem in desuetudinem abiisse. Macrobius quidem temporibus i. e. exeunte saeculo quarto tanta in oblivione res iacebat, ut ille cum Argeis simulacris confunderet sigillaria Saturnaliorum, horum de origine ea exponendo, quae vetustiores ad scirpeas illas effigies in Tiberim missas retulerant; Saturn. I, 7, p. 219 sq. 11, p. 240 sq. ed Gronov.<sup>24)</sup> Sed, ut illuc revertar, cum Ovidio Festus quoque testatur loco priore contracto a Paulo Diacono sic: „Argeos vocabant scirpeas effigies, quae per Virgines Vestales annis singulis jaciebantur in Tiberim;“ altero loco si lacera ipsius Festi pagina mentionem earum tenuerit, certe ignorandum est, quantumvis praestare videatur Merkeliandum supplementum<sup>25)</sup> Scaligerano Ursinianoque. Varro tantum sacerdotes dicit: „Argei“, inquit, „sunt e scirpeis simulacula hominum XXIII; ea quotannis de ponte sublicio a sacerdotibus publice deici solent in Tiberim.“ Plutarchus ne tantum quidem; quaerit enim: διὰ τὸν Μαῖον μηνὸς ἀπὸ τῆς ξυλίνης γεγύρας εἰδὼλα ψιτοῦντες ἀνθρώπων εἰς τὸν ποταμὸν Ἀργείον τὰ ψιτούμενα καλοῦσιν; prope iisdem verbis usus atque quaest. 86. Nec disertius Macrobianus ille Epicadus. Unus in illa caerimonia pontificum munus attigit Dionysius Halicarnassensis, antiqu. Rom. I, 38, ubi, narrata eius caerimoniae ex antiquis fabulis vel potius Graecaniceis commentis causa, huiuscemodi verba scripsit: τοῦτο δὲ καὶ μέχρις ἔμοι διετέλοντο Ρωμαῖοι δρῶντες σον τι μικρὸν ὑστερον ἐσφράγισαν τὴν μηνὸν Μαΐῳ ταῖς καλούμεναις εἰδοῖς, διχομηνίδα βονλόμενοι ταύτην εἶναι τὴν ἡμέραν· ἐν ἦ προθύσαντες ιερὰ τὰ κατὰ τὸν

<sup>21)</sup> Epicadus grammaticus L. Cornelii Sullae dictatoris libertus calatorque in sacerdotio augurali, filioque eius Fausto gratissimus fuit, ut memoriae prodidit Suetonius de illustr. gramm. 12. Cfr. Osann Beiträge z. Griech. u. Röm. Literat. gesch. II, p. 339 sq. O. Jahn prolegom. ad Persium p. CXLIII.

<sup>22)</sup> Lactant. de mort. persecut. 44. Panegyr. VIII in Constantin. Aug. 17. Eutrop. brev. X, 4. Aurel. Victor de Caes. 40. epit. 56. Oros. hist. VII, 28. Prudent. in Symmach. I, 483. Zonar. annal. XIII. Hieronym. et Prosper chronic. s. a. Quippe hoc ponte ipse Maxentius cum milite deturbatus dicitur. Cfr. Arntzen. ad Panegyr. I. I.

<sup>23)</sup> Neque certe illud premendum, nimis recentem esse pontem Mulvium, quippe quem M. Aemilius Scaurus censor a. u. 645 fecisse tradatur ab Aurel. Vict. de vir. illustr. 72. Ammian. Marcellin. XXVII, 3, 9; quam eundem iam ad a. u. 547 commemoret Livius XXVII, 51, ac fuisse aliquid pontis instar etiam prius eo loco probabilis conjectura sit. An non solum pontem sublicium cum ponte Aemilio multi confuderunt, quos oppugnavit Guil. Ad. Beckerus Hdb. d. röm. Alterthümer I, p. 693 sqq., sed etiam pontem Aemilium a M. Aemilio Lepido censore a. u. 575 factum, si verum vidit Beckerus p. 696, propter nomen Aemilium censura saepe nobilitatum cum ponte Mulvio? id quod post renatas litteras accidisse video Lubino ad Iuvenal. satir. VI, 32 et Lindembrogio ad Amm. Marc. I. I. In Notitia dignitatum atque Curioso urbis Romae pontes Milvius et Sublicius coniunctim medii inter Aurelium et Fabricium collocati inveniuntur; vid. Preller. die Regionen der Stadt Rom, p. 223. 244.

<sup>24)</sup> Cfr. exc. V.

<sup>25)</sup> Vid. dissertationem de obscuris Ovidii Fastorum libris illis Ovidianis editis a R. Merklio praemissam p. CIV.

νόμους οἱ καλούμενοι ποντίφικες, ἵσησαν οἱ διαφανέστατοι, καὶ σὺν αὐτοῖς αἱ τὸ ἀθάνατον πῦρ διαφυλάττονται παρθένοι στρατῆγοι τε καὶ τῶν ἄλλων πολιτῶν οὓς παρεῖναι ταῖς ἴερον οργίαις θέμις εἰδώλα μορφαῖς ἀνθρώπων εἰκασμένα τοιάκοντα τὸν ἀριθμὸν ἀπὸ τῆς ἵσησας γερίgas βάλλονται εἰς τὸ ἔδημα τοῦ Τιβέριος, Ἀργείονς αὐτὰς καλοῦντες.<sup>26)</sup> In quibus hoc quoque singulare est, quod non solos pontifices et virgines Vestales, sed etiam praetores ac de ceteris civibus, quos sacris interesse fas esset, sacrificii illius participes perhibuit, quae res nonnihil obscuritatis habet. Deinde nec perspicue nec accurate satis dixit, quum dubium esse possit, verba προσθέσαντες et βάλλονται quorū sint referenda, ad solos pontifices, an ad universos, quos adesse ait, aut si non omnia ad eosdem pertineant, quae singulorum partes fuerint. Ipsum iactum ad Vestales pertinuisse quum Ovidio Festoque auctōribus satis constet, vel harum causa pontifices adfuisse credibile est, penes quos et capiendarum et puniendarum arbitrium omnisque earum cura et custodia esset.<sup>27)</sup> Nec minus etiam nullo auctore credibile est, quod necesse fuit, publico illi sacrificio interfuisse eos sacerdotes, quorum munere statas solennesque caerimonias contineri vetus populus Romanus voluisse.<sup>28)</sup> Varro autem non videtur infinite dicturus fuisse sacerdotes, si soleae Vestales illud sacrum procurassent. Ac fortasse illi ipsi Ennius poetae de Numa rege versus, quos eo loco Varro interpretatur:

Mensas constituit, idemque ancilia — —,

lībaque, fictores, Argeos, et tutulatos,

quorum alterum etiam Festus laudat v. tutulum, tutulorum mentione pontificum in Argeorum sacrificio praesentiam significaverunt.<sup>29)</sup> Quaerentibus igitur, quid potissimum muneris hic obeundum pontificibus fuerit, statim illud occurrit, vidisse, ut rite omnia fierent. Deinde ita conformata sunt Dionysii verba, ut, antequam simulacula a Vestalibus deiicerentur, pontifices hostiam immolasse aliquis suspicetur.<sup>30)</sup> Illud

<sup>26)</sup> Quem locum exscripsit Eusebius praeparat. euangel. IV, 16, 23.

<sup>27)</sup> Cfr. Lipsium de Vest. et Vestal. 6. 13. I. A. Bosium de pont. max. Rom. vet. 4, 3.

<sup>28)</sup> Cicer. de harusp. resp. 9, 18. Valer. Max. memor. I, 1, 1.

<sup>29)</sup> Lerschius quidem ad Fulgentium p. 44 tres flamines, Dialem, Martialem, Quirinalem, ab Ennio dici tutulatos contendit propter Festi locum v. tutulum; quo loco duae sententiae commemorantur, altera eorum, qui „tutulum vocari aūnt flaminicarum capitū ornāmentū, quod fiat vitta purpurea innēa crīnībus et extructū in altitudinem,“ altera eorum, qui putarunt, „pileum lanatum forma metali figuratum, quo flamines ac pontifices utuntur, eodem nomine vocari.“ Qui sacerdotes tutulo usi sint, praeter hoc Festi dictum (nam Fulgentium turpissime halucinantem non morarum,) neque Varro I. l. neque Servius ad Virgil. Aen. II, 683 neque Tertullianus de pall. 4 prodiderunt. Et facile credo, tria illa pileorum genera, quibus sacerdotes utebantur, tutulum, apicem, galerum, promiscue a multis vulgo potuisse appellari, nec nos hic subtilius de iis agemus. Sed quum Festus cum flaminibus etiam pontifices tutulo usos scripserit, flaminum autem insigne apex potissimum celebretur (cfr. ne plures nominem, Serv. I. l. et ad VIII, 664. X, 270. XII, 492. Orell. inscript. n. 558.), et Varronis verba quae sequuntur I. l.: „Eundem Pompilium Numam ait“ (Ennius) „fecisse flamines,“ Lerschiana sententiae plane adversentur eo, quod novum Numae institutum necdum in superioribus commemoratum inferunt, tutulatos pro pontificibus habere non dubitavi. — Flaminica autem, quum it ad Argeos, neque comit caput neque depeicit capillum, μήτε λονομένη τηριαῖται μήτε σοσμομένη: Gell. X, 15. Plut. quaest. Rom. 86. Ennius igitur ne has quidem hic videtur dicere voluisse tutulatas.

<sup>30)</sup> Velut Klausenius Aen. p. 949, qui etiam bubus eos fecisse opinatur.

vero latet, soliusne huius rei divinae causa habitus sit pons sublicius, tantaque eius ab initio fuerit religio, ut ab ipso loco parando praecipuum sacerdotium appellatum sit.

Ritus huius origo varie apud veteres scriptores traditur. Fuerunt, qui Aborigines hostiis humanis (sexagenarios fuisse nonnulli addebat,) vel Diti patri vel Saturno sacrificasse dicerent, donec Hercules ex Hispania redux auctor illorum posteris factus sit, ut faustis sacrificiis infausta mutarent, docueritque ritu permanente stramineos in aquam mittere Quirites, oscilla ad humanam effigiem arte simulata codemque habitu, quo antea homines manibus pedibusque vincti, exornata.<sup>31)</sup> Argeorum nominis causa (etenim „Argei ab Argis“, ut Varro ait l. l.) hic in Herculis mentione delitescens aliis e narrationibus clarius elucet. In quibus simillima superiori est, quam Plutarchus refert, Herculem simulacris illis deducisse barbaros incolas morem religioso supplicio interficiendi captivos Graecos,<sup>32)</sup> Argivos antiquitus vocari solitos; nisi forte, ait, qui cum Euandro e Graecia profugi ibi considerant, odii inimicitarumque, quae Arcadibus cum Argivis propter vicinitatem intercedebant, memoriam in novas sedes transtulerunt.<sup>33)</sup>

<sup>31)</sup> Saturnum dicunt Ovidius v. 627. Dionysius I, 3 S, p. 95 Reisk. Lactantius instit. I, 21, 6. epitom. ad Pentad. 23, 2 (ubi cum Davisio pro „ex persona Apollinis“ legendum „ex responso Apollinis“); Ditem patrem Festus v. sexagenarios p. 334 Müll. (vid. annot. 44), ut parumper mittamus Macrobius Sat. I, 7, p. 220. 11, p. 241 Gron. varia miscentem, et parum distincte rhetoricanter Arnobium adv. nat. II, 68, de quibus dicentur plura in excursu V. Qui Saturnum, eos vel oraculi ambiguitas a Dionysio I, 19, Macrobius l. l. p. 219, Lactantio inst. I, 21, 7, Stephano Byzantio ethnic. v. Αροεζίνεις relati, cuius hic extremus versus est. οὐαὶ τεσταλάς Κρονίδη (Macrobi. et quidam codd. Lact. Ατόφη) οὐαὶ τῷ πατρὶ πέμπτες φῶτα, vel collis Saturnii i. e. Capitolini (Varr. de ling. Lat. V, 5, 42 [IV, p. 13]) nomen cum illa sacrorum permutatione coniuncti (Dionys. I, 34. 38. II, 1. VI, 1. cfr. Macrobi. p. 220. 241), vel hostiae humanae etiam alibi, velut Carthagine, Saturno mactari solitae (vid. Buttmann Mytholog. II, p. 50 sq.) videntur deduxisse ab auctoritate L. Manili ap. Fest. l. l. et Varronis ap. Macrobi. p. 219. Hi enim praecipiui huius de sacrorum mutatione sententiae autores existere, quod appareat etiam Macrobi locum conferent cum Dionys. I, 19, ubi male legebatur Αεύξιος Μάγιος. Vid. Merkel. l. l. p. CIV. CLXXI. Minus recte igitur Ambroschius in libro Studien und Andeutungen im Gebiet des altrömischen Bodens und Cultus I, p. 198, neglecta Ditis mentione, ad eorum opinionem refellendam, qui patri Tiberino factum Argeorum sacrificium volunt, Varronis usus est auctoritate, quam eo arguento, χθόνιοι esse Saturni numen et cum Graecorum Ατόφη pluribus rationibus confineri. — De Manilio Marii et Sullae temporibus claro alios locos attulit G. I. Vossius de historicis Lat. I, 9, itemque R. Krause vitt. et fragm. historic. Rom. p. 297 sq. Itaque apud Ciceronem pr. Rosc. com. 14, 43 fortasse pro T. scribendum L.

<sup>32)</sup> Herculem, quum Geryonis boves per Italiam ageret, hospitio acceptum a Fauno, Mercurii filio, hunc vero, qui hospites parenti immolarebant, quum Hercoli quoque manus iniiceret, ab eo interfectum esse, refert Pseudo-plutarchus parallel. min. 38, auctore quodam Dercyllo, de quo praeter Vossium de historic. Graec. III, p. 428 c. annot. Westermannii dictum est a Roethero ad Ioann. Lyd. de mens. III, 8, p. 104, Boissonadio anecdote. I, p. 417, Schneidewino in Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1834 n. 53, p. 430 sq., Anonymo ibid. n. 121, p. 974. O. Iahnio de Palamede p. 32 et in Zeitschr. f. d. Alterthumswiss. 1841 nr. 20.

<sup>33)</sup> Miramur cum Woenigero Sacralsys. p. 144, non prorsus displicuisse alteram hanc Plutarchi rationem eximio viro Huschkio Verfass. d. Serv. Tull. p. 87, ceteroquin Argeos ab Argivis denominatos improbanti; multa enim nomina propria in Romanorum iure tam publico quam sacro abiisse in appellativa, ut Caerites, trans Tiberim, Thalassium, Gaium, alia. Fallitur, quod Plutarchum scribere ait, Arcadas solitos esse captos bello Argivos pro se immolare. Idemque Argeorum sacraria primum a Numa dedicata Livio I, 21 perhibent assentitur. Vid. annot. 45 extr.

Epicadus autem referebat, Herculem in eo itinere, ponte, qui postea sublicius dictus est, ad tempus instructo, hominum simulacula pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, in fluvium demississe, ut aqua secunda in mare devecta pro corporibus defunctorum veluti patriis sedibus redderentur, et inde usum talia simulacula singendi inter sacra mansisse. Etenim, ut est apud Servium ad Virgil. Aen. XI, 186, „apud varias gentes diversa fuerunt genera sepulturae; inde est, quod alii obruantur, alii excurrentur, alii proprias remittuntur ad patrias“ etc.<sup>34)</sup> Nec adeo diversam fabulam Ovidius narrat fast. V, 639—660,<sup>35)</sup> ex Herculis comitibus Argivos quosdam in montibus apud Tiberim consedisse; deinde patriae desiderio captos in fluvium se mortuos mitti iussisse, ut undis in patriam ferrentur; heredes autem, quibus id genus sepulturae displicuisse, ipsa corpora humo condidisse, pro corporibus scirpeas imagines in Tiberim iactasse. Simile quid, nec tamen plane idem, nescio quo auctore<sup>36)</sup> tradidisse Festus videtur loco illo mutilato et lacunoso v. sexagenarios. Idem narrat de legato quodam Argaeo Romae morato, quo mortuo institutum a sacerdotibus sit, ut scirpea effigies per flumen ac mare in patriam remitteretur, ex omnibus curiis, si Merkleio supplenti lacunam fides est, quia publicae rei causa internuntiavisset. Sed Argaeos Festi codex pro Argeis etiam comites Herculis scriptos habet.<sup>37)</sup> Quae quum ita tradita sint, non adeo miramur, si qui Aeneam pontificem fecerunt, quum iam ipsum Herculem primum pontificem deprehendamus vel Euandrum vel utroque nescio quos antiquiores supparesve. Operam vero luserit, qui haec omnia sibi sumscrit refellenda; id veri inesse videtur, ritum fuisse perantiquum et prisca crudelitate nondum deposita ipsos homines esse sacrificatos; reliqua vel Graecorum vanitati tribuenda vel Romanorum Graecissantium, ipso singendi libidinem instigante Argeorum nomine, accidentibus etiam sacra riis Argeorum, de quibus mox dicendum erit, et Argileto. Sed Argis qui nati protective essent, Argivos dicebant homines Latini, Argeos rarissime vix Augusti tempore poetae cum Graecarum litterarum affectatione.<sup>38)</sup> Sic et Achacos veteres dicebant Achivos, et multo etiam post archivum, quod erat

<sup>34)</sup> Mommsenius röm. Tribus p. 215 percommode admonuit Cingarorum seu Zingitarum, qui regulum suum in mare facere dicuntur, ut in patriam Aegyptum perveniat. De Hercule et Ionio Merkel. p. CLXX attulit Appian. bell. civ. II, 39.

<sup>35)</sup> Auctore Ennio, si verum vidit Merkleius I. l. p. LXXXII. Quamquam, si apud Dionys. I, 34 pro Εὔσεβος recte legitur Ἐρύξος, ex hoc loco et II, 1 colligi potest, Epeos potius comites Herculis, qui remanserint, Ennium dixisse. Sed Enniana reliquiae collectae mihi non sunt praesto.

<sup>36)</sup> Varrone, si audiendus est Merkleius I. l. p. CIV. Idem sequentem narrationem Santræ auctori tribuit, de quo viro Varronis fere aequali post Vossium de hist. Lat. III, p. 719 ed. alt. et ipse nonnulla p. XCVII attulit et Lerschius in Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1839 n. 13 et 43 et Mercklinus in Schneidewini Philologo III, p. 314 sq.

<sup>37)</sup> Argaeus nomen Macedonicum est, conformatum ratione eadem, qua Ptolemaeus; Herodot. hist. VIII, 139. Demosthen. contr. Aristocrat. p. 660. Diodor. biblioth. hist. XIV, 92. XVI, 2. Arrian. anab. VII, 16, 1. Pausan. descr. Graec. I, 7, 1. Georg. Syncell. chronogr. p. 401. 495. 498 sq. ed. Bonn. Justin. hist. VII, 2. Sed apud Festum etiam nymphaea dicta sunt pro nymphaeis, v. nuptias p. 170.

<sup>38)</sup> Horat. carm. II, 6, 5. Ovid. amor. III, 6, 46. Virgil. (?) cul. 342. Erravit Klausenius, quum dixit p. 945, his locis exceptis Argeum pro Argivo ponit demum a Claudiano in Eutrop. I, 248. laud. Seren. 191; nam ne his quidem locis Argivi quidquam commemoratur, sed ad Argaeum montem Cappadociae pertinent, de quo vid. Forbiger Hdb. d. alt. Geogr. II, p. 46, estque et his diphthongus restituenda et in Rufin. II, 31. Sed Argiam pro Argivi facilius dixisse videntur, siquidem certum est, dixisse Ciceronem de nat. deor. I, 29. Tuscul. I, 47, 113. Adrasti filiam, uxorem Polyni-

Graece ἀργεῖον, musivum quod μονσέιον. Omnino autem nullum est nomen Latinum, neque substantivum neque adiectivum, nisi ex peregrinis receptum, quod in syllabas eus vel ea vel éum exeat paenultima producta. Neque enim Cneum quisquam nobis opponet, qui ab initio Gnaivos fuit. Itaque quum Argeorum, ut ipsa sacra, ita nomen quoque non possit non haberi pro antiquissimo, colligitur, Ennium l. l. et Ovidium fast. III, 791, quum Argeos dicerent pede Molosso, sive versus heroicí necessitate coactos sive falsa notatione praeoccupatos, producta syllaba violasse nominis integratatem. Sim quis ita existimet, linguae Latinae, sicut Graecae, non exiguum partem a Pelasgica origine esse repetendam, et notio nem aliquam vel vocabulum primigenium videri subesse, a quo et ipsum Argos Pelasgicum et Argei Aboriginum, gentis Pelasgicae, seu utcunq; populi Romani appellandi sunt proavi, nomina duxerint; eam sententiam equidem non usquequaque oppugnandam censeo, sed videndum tamen, ne, quae inde colligas, somniis sint quam verae rei similiora, neve ex incertis incertissima configantur.<sup>39)</sup> Sed videamus reliqua.

Spretis igitur Argis et Hercule fuerunt, ut item est apud Festum, qui dicerent, „post urbem a Gallis liberatam ob inopiam cibatus coeptos sexaginta annorum homines iaci in Tiberim, ex quo numero unus, filii pietate occultatus, saepe profuerit patriae consilio sub persona filii. Id ut sit cognitum, ei inveni esse ignotum et sexagenaris vitam concessam; latebras autem eas, quibus arcuerit senem, id est cohibuerit et celaverit, sanctitate dignas esse visas ideoque arcaea appellata.“ Fabellam hanc quoque esse, non rei gestae memoriam, nemo non videt; quam qui commentus est, aut in contrarium, atque ceteri, vitium incurrit, quum, etiamsi a Numae institutione discesseris, nec rara nec levia pontificii munera ante Gallicam cladem vestigia inveniantur,<sup>40)</sup> aut pontificum originem nomenque ab Argeorum sacro

cis, quod nomine proprio cum Hygin. fab. 69, Serv. ad. Virg. Aen. II, 261 sic vocavit Statius Thebaid. II. 203. 266, minime mirum est, nec debuit Statii eos versus referentem Priscianum instit. grammat. II, S. 46 antestari Orel. ad Horat. l. l.; possent enim etiam meliori jure afferri Argus et Argeus, Danaae ex Phineo filii, ex Serv. ad Virg. Aen. VIII, 345, et Argius statuarius, Polycleti discipulus, ex Plin. nat. hist. XXXIV, 8, 19, in quo si quid sefellerit Plinium, de quo vid. Siliig. catal. artif. p. 83, neque indubitatum est, neque ad hanc quaestionem attinet. Apud Gellium X, 16 alii in libris legitur „Argivum bellum, id est Achalcum“, aliis „Argium“. In titulo Tiburti ap. Orell. inscr. n. 1289: „Iunoni Argeiae“.

<sup>39)</sup> Haec quum saepe animum subeat cogitatio Klausenianum librum legenti, qui est de Aenea et Penatibus, tum non mediocriter moyet p. 935 sqq., ubi ne Argis quidem siticulosus nec Argivae Danaae Ioviali auro impletae nec ulli denique nomini aut fabulae aut ritui parsus est, ut Argeorum sacrum ad aquae dulcis puteos in terra argillosa effossos referatur. Contigit sane huic viro, nam de minoribus tacere praestat, non raro, ut serpentes, quod ait poeta, avibus geminaret, tigribus agnos. Quod non ita a me dictum accipi volo, ac si non multa ei debeam, quae sunt profecto plurima; immo lectionis amplitudinem in eo ingenique libertatem admiror, ut qui maxime, sed nesciendi artem desidero.

<sup>40)</sup> Ti. Pontificius trib. pl. Liv. II. 44. Dionys. IX, 5; pontifices et augures regem sacrorum creantes, Dion. V, 1; idem cum reliquis sacerdotibus ad C. Marcium Coriolanum missi pacem petitum, Dion. VIII, 38; de prodigiis consulti et Vestalem virginem Orbiniam incesti damnantem, Dion. IX, 40; cum auguribus aliquo sacerdotibus adhibiti comitiis centuriatis, quibus perlata est lex Icilia de Aventino publicando, Dion. X, 32; et iis, quibus leges decem tabularum, Dion. X, 57; pontifex ab Anco rege omnia sacra publica ex commentariis Numae in album relata proponere in publico iussus, Liv. I, 32 Dion. III, 36; aedes Mercurii pro pontifice dedicata, Liv. II, 27;

repetere noluit. Aliqua tamen non videntur esse contempnenda nec indigna, quorum in quaerendo ratio habeatur; veluti quod in explicando Argeorum nomine id quoque spectari debere docet, an c littera cum g prisco more commutata sit,<sup>41)</sup> quamvis vana ratione ab arcendo ipse trahat sua arcae; deinde quod Argeis in Tiberim missis cum Argeorum sacrarib[us] necessitudinem intercedere tacite indicat; denique quod hic quoque iis testis accedit, qui barbarum illum morem necandi senes et bello inutiles ne a populi Romani quidem prisca feritate alienum fuisse putarent. Quem morem vix credibile est subito esse abiectum, sed paulatim incremente humanitatis vi aboleuisse, nec nisi in calamitate publica, velut fame dominante, ad tempus revixisse; id quod posterorum pietas aut negandum duxit, velut Ovidius fast. V, 623 ait:

Corpora post decies senos qui creditis annos  
missa neci, sceleris criminis damnat avos;<sup>42)</sup>  
aut certe emolliendum voluntaria morte substituta, velut de fame, quae fuit Proculo Gegani Macerino L. Menenio Lanato coss. a. u. 314, Livius narrat IV, 12: „multi ex plebe, spe amissa, potius quam ut cruciarunt trahendo animam, capitibus obvolutis se in Tiberim praecipitaverunt.“ Itaque quum mansisset Romae depontanorum appellatio,<sup>43)</sup> et proverbio, quo „sexagenarios de ponte deiiciendos“ dicebant, relat[us] eo a nonnullis ad Aborigine[m] hostias humanas,<sup>44)</sup> sic populariter uterentur, ut senes de ponte Tiberino deiiciendos intelligerent;<sup>45)</sup> Varro qui in satira Sexagesi<sup>46)</sup> popularem eam rationem secutus

comitia tribunis plebis creandis post decemviralem potestatem a Q. Furio pont. max. habita, Liv. III, 54; Postumia virgo Vestalis incesti a pontificum collegio absoluta, Liv. IV, 44.

<sup>41)</sup> Voss. Aristarch. I, 15, 29. Conr. Schneider Grammat. d. lat. Spr. I, p. 231 sqq. 270 sq. O. Müller ad Paul. Diac. exc. Fest. v. acetare, p. 23. v. orcus, p. 203. Etrusk. II, p. 296. Becker Hdb. I, p. 111. Pleraque quidem eiusmodi exempla sunt, ut antiqui c scripsisse, g voce extulisse videantur; verum tamen etiam primigenium c vel k usu ita mollitum in nonnullis verbis erat, ut postea g scriberetur, ut prodigium ἀπὸ τοῦ προθεικύντα, a prodicendo s. praedicendo, Fest. s. v., p. 229; indigentia ab indictandis s. indicandis deorum nominibus, cfr. Ambrosch üb. d. Religionsbücher d. Röm.: ac nescio an recte „Indigetes Dii, quorum nomina vulgare non licet“, Paul. Diac. exc. Fest. s. v., p. 106, i. e. indicti. (Non eadem, at similis tamen ratione Apuleius de dogm. Plat. I, 5 summum Deum Platonis vocavit „indictum, innominabilem“.) De inicio et infligio Varr. d. I. L. VI, 9, 95 (V, p. 77) emendat. a. C. Lachmann ap. Hertz. de Cincis p. 96. Alia exempla vid. ap. Schneider. p. 239 sq.

<sup>42)</sup> Nonius p. 523: „Sexagenarios per (?) pontem mittendos male diu popularitas intellexit, quum Varro de vita populi Ro. lib. II honestam caussam religiosamque patet fecerit.“ Festus p. 334: „Vanam autem opinionem de ponte Tiberino confirmavit Afranius in Repudiato.“ Nonius quod dixit per pontem mittendos, de eo mire, ut solet, argutatus est Pfondius altital. Rechtsalt. p. 261.

<sup>43)</sup> Paul. Diac. exc. Fest. p. 75 Müll.: „Depontani senes appellabantur, qui sexagenarii de ponte deiiciebantur.“

<sup>44)</sup> Festus p. 334: „Sexagenarios [de ponte olim deiiciebant.] cuius causam Manilius hanc refert, quod Romam qui incoluerint [primi] Aborigines aliquem b]ominem, sexaginta [annorum qui esset, immolare] Diti patri quot [anni] soliti fuerint.] quod facere eos defstitisse adventu Her]culis. sed religio[sa veteris ritus observatione sc]irpeas hominum effigies de ponte in Tiberim antiquo modo mittere [instituisse...].“ Lactantius epitom. ad Pentad. 23, 2, qui locus respondet inst. div. I, 21, 6, 7: „Etiam ante“ (Iovem Latiam sanguine humano propitiatum) „Saturno sexagenarii ex responso Apollinis de ponte in Tiberim deiiciebantur.“ Cfr. annot. 31.

<sup>45)</sup> Cicero pr. Rosc. Amer. 35, 100: „Habeo etiam dicere, quem contra morem maiorum minorem annis sexaginta de ponte in Tiberim deiicerit.“ Nonius p. 86: „Carnales, seddules. Varro Sexagesi: Vix ecfatus erat, quum

erat, libro II de vita populi Romani hanc honestiorem proposuisse religiosioremque visus est Nonio Marcello v. sexagenarios p. 523 Merc.: „Quum in quintum gradum<sup>47)</sup> pervenerant,“ ait, „atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi; ideo in proverbio quidam putant venisse, ut dicetur sexagenarios de ponte defici oportere, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant.“ Eandemque proposuit cum Sinnio Capitone<sup>48)</sup> sententiam Verrius Flaccus; haec enim leguntur apud Festum I. l.: „Sed exploratissimum illud est causae: quo tempore primum per pon-

more maiorum ultro carnales arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant.“ (Scaliger ad Varr. de ling. Lat. VI, p. 191 Bip. legi voluit: „Casnare, seniles“; Gerlachius et Rothius in Nonii editione, Oehlerus in Varronis satyram Menipppearum reliquis, quam huic loco medicinam fecerint, libris nondum ad me perlatis, nescio.) Nonius p. 214. „Murmur.. generis masculini; Varro Sexagesi: Acciti sumus, ut deportaremur, murmur fit versus.“ Afranius ap. Festum p. 334. vid. annot. 42. Huc pertinet etiam in lepidissimo illo Catulli carmine 17 ad Coloniam, quod poeta ait vv. 8. 9. 23:

Quendam municipem meum de tuo volo ponte  
ire praecipitem in lutum per caputque pedesque: — —

Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum:

deridens frigidum florentissimae coniugis maritum et Veneris militiae imparem ideoque scilicet pro sexagenario habendum; quod magis perspicuum fit exemplo arrogationis, in qua aetas eius, qui arrogare vult, an liberis potius dignissima idonea sit, consideratur (Gell. V, 19.) i. e. num forte minor sexaginta annis sit (Ulpian. in Digest. I, 7, 15, 2), quasi sexagenarii generare non possint (Sueton. vit. Claud. 23): cfr. annot. 50. — Hinc Huschkius Verf. d. Serv. Tull. p. 87. „Man könnte versucht sein, mit Rücksicht auf die eine Sage, welche die sexagenarii deponanti auf die Argeer bezog (Fest. v. Sexagenarios) den Namen von ἀργέω abzuleiten und auf unglückte alte Leute und Nichtstüher zu beziehn, wie ja auch an den griechischen Thargelien schlechtes Gesindel zu diesem Volksopfer genommen wurde. Aristoph. Ran. 745. Hüllmann Röm. Grundverfassung S. 80.“ Nihil hac notatione infelius. Nollem vir praestantissimus talibus experiendis cavillandi materiam praebuisset homini longe se inferiori; vid. ann. 33.

<sup>46)</sup> Vid. annot. 45.

<sup>47)</sup> Censorinus de die natali 14: „Varro quinque gradus aetatis aequabiliter putat esse divisos, unumquemque scilicet praeter extremum in annos XV. Itaque primo gradu usque ad annum XV pueros dictos, quod sint puri, id est inpubes; secundo ad tricensimum annum adulescentes ab alescendo sic nominatos; in tertio gradu qui erant usque quinque et quadraginta annos, iuvenes appellatos eo quod rempublicam in re militari possent iuvare; in quarto autem adusque sexagensimum annum seniores vocitatos, quod tunc primum senescere corpus incipiat; inde usque finem vitae unusquisque quintum gradum factum, in quo qui essent, senes appellatos; quod ea aetate corpus senio iam laboraret.“ Minus accurate et, ut videtur, memoriter, id est fide satis incerta (cfr. Purmann. in Schneidewini Philologo III, p. 70—72), Servius ad Virgil. Aen. V, 295: „Aetates omnes Varro sic dividit: infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuventam, senectam“ etc. Itaque, etsi certum sit, Varronem aliquid etiam aliis in libris de aetatum nominibus dixisse, ut in rerum divinarum libr. I ap. Non. v. pueritia p. 156 et in libris ad Ciceronem ap. Serv. ad Virg. Aen. V, 409. VI, 304, tamen propter illum ipsum locum, cui haec annotamus, vix crediderim, aliunde Censorinum Varronianam sententiam retulisse, quam ex aliquo libro eorum, quos de vita pop. Rom. ille scripserat. Quos autem Varronis de gradibus libros Servius laudat ad Virg. Aen. V, 412, eos Iac. Cuiacius observ. VI, 11 recte iudicasse videtur pertinuisse ad gradus cognitionum.

<sup>48)</sup> De hoc viro Varronis fere aequali vel paulo inferioris aetatis praecipius est libellus Martini Hertzii, Berolini a. 1844 editus, et dissertatio minor in Schneidewini Philologo I, p. 610 sqq.

tem coeperunt comitiis suffragium ferre, iuniores conclamaverunt, ut de ponte deicerentur sexagenarii, qui iam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi quam illi deligerent imperatorem; cuius sententiae est etiam Sinnius Capito.<sup>49)</sup> Hi sunt, de quibus Ovidius I. l. 633 ait:

Pars putat, ut ferrent iuvenes suffragia soli,  
pontibus infirmos praecepitasse senes.

Quos tantos autores tamque doctos quis miretur potissimum sequendos sibi putasse, ipsius rei memoria iam pridem exoleta, grammaticum Macrobius?<sup>50)</sup> Itemque recentis ac nostrae aetatis grammaticis antiquariisque tantum non omnibus de ea re persuasum est, sobriis scilicet ingenii digna et a fabularum incredibilium nugis aliena. Sane comitiis centuriatis in Campo Martio habendis, quibus exercitus imperabatur, eos, quibus propter aetatem et vacatio militiae erat et omnium publicorum negotiorum<sup>50)</sup>

<sup>49)</sup> Macrob. Saturn. I, 5: „Hilisne tam doctis viris, quorum M. Cicero et Varro imitatores se gloriantur, adimere vis in verborum comitiis ius suffragandi et tanquam sexagenarios maiores de ponte deiicere?“ Etenim Quadrigarii et Lucili hosque secutorum Ciceronis et Varronis exemplis ostendit, licuisse dicere: „mille verborum.“

<sup>50)</sup> Varro de vit. pop. Rom. ap. Non. v. sexagenarios: „Quum.... habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi.“ Festus I. l.: Sexagenarii, qui iam nullo publico munere fungerentur. Seneca de brevit. vit. 4: „A quinquagesimo in otium secedam, sexagesimus annus ab officiis me demittet.“ Id. ibid. 20: „Lex a quinquagesimo anno militem non cogit, a sexagesimo senatorem non citat.“ Itaque singulare est, quod apud Senecam rhetorem controvers. I, 8 P. Nonius Asprenas dicit: „Senator post sexagesimum et quintum annum in curiam venire non cogitur nec vetatur.“ Quod scire velim an ita explicari debeat, vacatione militiae a sex et quadraginta annos natis ad maiores quinquaginta annis translata, idem quindecim annorum spatium ad urbana negotia utrisque datum videri; vid. annot. 51. Certe non potius de peregrino quam de Romano more loqui rhetor videatur; sed redeamus ad sexagenarios. Plinius epist. IV, 34: „Prima vitae tempora et media patriae, extrema nobis impertire debemus, ut ipsae leges monent, quae maiorem annis LX otio reddunt.“ Rhetoric. ad Herenn. II, 13, 20: „Maior annis LX, et cui morbus causa est, cognitorem det,“ quae iuris formula fuit. Fragment. legis Serviliae repetundarum 6, p. 22 ed. Klenze: „Pr. quei inter peregrinos ions deicet, is in diebus X proxum., quibus h. l. populus plebesve iouserit, facito utei CDLviros legat, quei in hac ceivit[ate] in eum annum, quo h. l. populus plebesve iouserit, ioudicent, dum nei quem eorum legat quei.... quei ve minor annis XXX maiorse annos LX gnatus sit“ etc., pariterque 7, p. 31 de CDLviris quotannis legundis. (Egger Latin. serm. vetust. reliqu. p. 234.) Lata lex inter annos urb. 648 et 654. Ulpianus libro XXVI ad Sabinum in Digest. I, 7, 15, 2: „In arrogationibus cognitione vertitur, num forte minor sexaginta annis sit is, qui arrogat, quia magis liberorum procreationi studere debeat; nisi forte morbus aut valescendo in causa sit aut alia iusta causa arrogandi“ etc. Cfr. Cell. nocti. Att. V, 19. Suetonius vit. Claud. 33: „Capiti Papiae Poppaeae legis a Tiberio Caesare, quasi sexagenarii generare non possent, addito obrogavit.“ Itaque Ulpianus fragment. 16, 3: „Claudiano senatusconsulto maior sexagenario si minorem quinquagenaria duixerit, perinde habebitur, ac si minor sexaginta annorum duxisset uxorem.“ Etenim lege Papia Poppaea finitos fuisse matrimonii annos viro LX, uxori L, ex eodem Ulpiani titulo discitur; coll. Cod. Iustinian. V, 4, 27. VI, 58, 12. Hinc Senecae locus in libris moralis philosophiae, quem conservavit Lactantius inst. div. I, 16, 10: „Quid ergo est, quare apud poetas salacissimus Iuppiter desierit liberos tollere? utrum sexagenarius factus est et illi lex Papia fibulam imposuit? an impetravit ius trium liberorum?“ etc. Augustinus autem contr. Julian. Pelagian. III, 11, 22 quod dicit: „Si vero in summa ducti amborum anni centenarium numerum excesserint, sic asseverantur non posse filios procreare,..... ut iure fuerit etiam constitutum, ne quisquam ius liberorum haberet, nisi cum amborum anni computati et simul ducti centum transisse docerentur;“ id ut ita diceret, comodus videtur centum annis Abrabae Isaacum generantis, de quibus ibi disputat, mutato C annorum saeculo cum saeculo annorum CX, quod efficitur consummatis, quos LX annos viro et L uxori lex Papia, uti diximus,

immunitas, abesse consentaneum erat; ac poterant qui per pontes suffragia laturi in septa seu ovile transibant, illos, quibus propter aetatem suffragii ius non esset, ab ipsis pontibus deiiciendos clamare;<sup>51)</sup> poterant, inquam; nec tamen, si fecerunt, videntur facturi fuisse, nisi quid ex antiquo more acuminis ei voce accessisset; ac ne ipsa quidem vox sine illo acumine potuisse videtur in proverbium venire, praesertim quum illis temporibus, quibus verisimile est copta esse per pontes suffragia ferri, iam pridem maioribus quam quinquaginta annos natis aetas vacationem militiae dedisset, ut imperatoris diligendi obtructatio etiam ad minores sexaginta annis pertineret. Nam de vacatione iam constat bello Persico a. u. 583.<sup>52)</sup> Pontes<sup>53)</sup> autem, per quos suffragium ferre aliquando cooperunt, (neque enim ab initio eum morem obtinuisse, Festi verba „quo tempore primum.. cooperunt“ minime negligendo testimonio aperiunt,) non videntur illi fuisse antiquiores legibus tabellariis, quarum ad rationem, ubicunque pra-

praefinivit. Add. annot. 45. Potest quodammodo hoc referri etiam quod Plutarchus scripsit in libro, an seni sit gerenda respubl. 20, dixisse Tiberium Caesarem, turpe esse homini maiori quam sexaginta annos nato, manum porrigerere medico; quod ille negans de prensandi potius dedecore dicendum putat, ulti enim oblatis honores accipere seni esse honestissimum.

<sup>51)</sup> Et credibile est, eam vocem interdum non caruisse effectu, quum ii, qui in C. Iulium Caesarem dictatorem conspiraverant, id egisse tradantur, ut „illum in campo, per comitia tribus ad suffragia vocantem, partibus divisis e ponte deicent, atque exceptum trucidarent“; Sueton. vit. Caes. 80. Vix opus est commemorato, Caesarem perisse sexto et quinquagesimo aetatis anno.

<sup>52)</sup> Liv. hist. XLII, 33, 34; add. Senec. de brevit. vit. 4, 20. Servium Tullium quidem regem, ut Gellius refert n. A. X, 28, C. Tubero (videndum an sit L. Tubero, Q. Ciceronis in Asia legatus, et C. apud Gellium aut cum L. mutantum aut prorsus delendum;) in historiarum primo scripsit, inde ab anno septuagessimo, quo idoneos iam esse reipublicae arbitraretur, milites scripsisse, eosque ad annum quadragesimum sextum inniores, superaque eum annum seniores appellasse. Eundem Livius I, 43 et Dionysius IV, 16 senioribus tradunt urbis custodiam mandasse, quum invenies foris bella gererent, eiusque rei exempla afferunt Liv. V, 10, VI, 6. Dionys. V, 75, VI, 72. Sed de Tuberonis sententia utcumque discrepat inter Niebuhrum Röm. Gesch. I, p. 460 sq. et Huschkius Verlass. d. Serv. Tull. p. 140 sqq., dubitare licet, an gradus illi seniorum et senum, de quibus Varro in libris de vita pop. Rom. dixisse putavimus ann. 47, ad Servianam divisionem ita recte accommodentur, ut seniores, qui urbis custodiam agerent, minores annis LX appellati videantur, maiores vero senes, siue etiam hoc negotio liberi et otiosi. Quae Niebuhrii videtur esse sententia. „Secundum Varro in“, ut est in Servii grammatici commentariis ad Virgil. Aen. V, 409, „senior et iunior comparativi sunt per immunitionem... ergo senior non satis senex“ etc. Seniores autem illos urbis custodes si quis suffragii iure indignos habuerit, traditum non invenio. „Dass grosse Männer auch in sehr hohem Alter zum Feldherrnbefehl berufen wurden, beweisst zu Rom um so weniger, da die Ritter nicht nach dem Alter getheilt waren,“ verba sunt Niebuhrrii I. I. p. 462 ed. II; cfr. Marquardt histor. equit. Rom. I, 2, p. 7.

<sup>53)</sup> Ponticulos recentiores quidam dixerunt, veteres non invenio dixisse; longe quidem alii suere ponticuli, de quibus mentio est ap. Catull. 17, 3. Cicer. Tuscul. V, 20, 59. epist. ad. Q. fratr. III, 1, 2. Sueton. vit. Caes. 31. Inscript. Orell. n. 3671.

<sup>54)</sup> Itaque falli videntur, qui per pontes in Petronia amne factos centurias ad suffragia ferenda in ovile transisse putant, velut Klausenius I. l. p. 944, propter Festi locum v. Petronia p. 250. „Petronia amnis est in Tiberim perfluens, quam magistratus auspicio transeunt, cum in campo quid agere volunt, quod genus auspici perenne vocatur.“ Eiusdem amnis mentio est ap. Paul. Diac. exc. Fest. p. 45: „Catii fons, ex quo aqua Petronia in Tiberim fluit, dictus, quod in agro cuiusdam fuerit Catii.“ Cuius aquae, si prope septa manaverit, tamen in ob-

ter Festi Noniique locos commemorati sunt, relati a scriptoribus deprehenduntur;<sup>55)</sup> ut, licet disertae desint auctoritates veterum, vix dubium sit, quin, tabella, tanquam vindice libertatis,<sup>56)</sup> data pro vocis suffragio, ut recte et ordine suffragia ferrentur, neve hominum turbulentorum et ambitiosorum fraudibus vitiarentur, pontium, id est angustorum ad septa adituum, instructio plane fuerit necessaria. Quum autem quattuor fuerint leges tabellariae liberae reipublicae temporibus,<sup>57)</sup> Gabinia, Cassia, Papiria, Caelia; Gabinia, quae fuit de magistratibus mandandis, prima lata est a. u. 615, Caelia de iudicio perduellionis ultima a. 647.<sup>58)</sup> Unde apparet, quam inepte Cicero lusisse dicendus foret in oratione pro S. Roscio Amerino a. u. 674 habita, quum diceret, habere se, qui minor LX annis de ponte deiectus esset „contra morem maiorum“,<sup>59)</sup> si istos comitiorum in campo Martio pontes significasset.<sup>60)</sup> Nec mirum, quod Afranius, togatarum fabularum scriptor eximius, quo vivente leges tabellariae latae sunt, illam, Verrio scilicet Festove iudice, „vanam opinionem de ponte Tiberino confirmavit.“<sup>61)</sup> Denique non dubitamus, quin a Romanis antiquitus, sicut ab aliis gentibus,<sup>62)</sup> homines immolari sint soliti; quid enim,

---

scruo cursus est. Nec a Festo centuriae, sed magistratus cum populo acturi transisse dicuntur. Pertinet potius Festi ille locus ad perennia auspicia magistratum annes transeuntium, quae docet ipsa res fuisse antiquissima, Cicero autem suo tempore iam multis annis neglecta scribit, de divinat. II, 36, 77. de nat. Deor. II, 3, 9. Quos quum ille libros scripsisset circiter nonaginta annis post legem Gabiniam latam, quae fuit tabellarium prima, quarum cum ratione pontes illos comitiorum coniunctos fuisse putamus, colloquium autem de natura Deorum circiter sexaginta post illam legem habitum fixerit; omnis quae inter Petroniam annem et pontes ad septa ducentes necessitudo intercedere videtur, nescio an evanescat. Ceterum de auspiciis perennibus adeundi sunt loci Festi v. manalis sons, p. 157, et v. perenne, p. 245, et ipsum ritum discibentis Servii ad Virg. Aen. IX, 24.

<sup>55)</sup> Cicer. de legg. III, 17 (cfr. Plut. vit. Mar. 4). ad Attic. I, 14, 5. Rhetor. ad Herenn. I, 12, 21. II, 12, 17. Sueton. vit. Caes. 80.

<sup>56)</sup> Ut Cicero dixit, de leg. agrar. II, 2, 4.

<sup>57)</sup> Comitiis a Tiberio e campo ad patres translatis, de quibus vid. Lipsii excurs. ad Tacit. ann. I, 15. Rein. in Pauly Real-Encyclopädie d. class. Alterthumswiss. II, p. 559, sub Traiano principe senatum quoque in creandis magistratibus legem tabellariam adscivisse, auctor est Plinius epist. III, 20.

<sup>58)</sup> Cicer. de legg. III, 16. Cfr. Lael. 12, 41. Brut. 25, 97, 27, 106. — Oros. hist. V, 15.

<sup>59)</sup> Vid. annot. 45.

<sup>60)</sup> Optime haec omnia exposita sunt ab Ed. Osenbrüggen in censura editionis Büchnerianaे orationis Cicer. pr. Rosc. Amer. in Zeitschr. f. d. Alterthumswiss. 1836 nr. 125, p. 1006 sqq., et iterum in propria editione, Einleitung p. 45 sqq. I. Fr. Wagneri dissertationem a. 1831 Lunaeburgi editam, in qua „quaeritur, quid sit sexagenarios de ponte“, divinditis omnibus a bibliopola exemplis, comparare non potui.

<sup>61)</sup> Vid. annot. 42. — Afranium Caecili Terentiique supparem facit Velleius hist. I, 17, 1, quorum alter a. u. 586, alter a. 595 decessit; idemque iterum II, 9, 3 Pacuvii atque Attii, quorum prior a. u. 614 octogenarius fuit, alterius quinquaginta annis minoris fabula Tereus acta est a. u. 651; Cicero Brut. 45, 167 imitatem C. Titii, oratoris et tragici poetae, Lucilianaæ aetatis viri, qui etiam a. u. 660 floruisse videtur (interpp. Cic. I. I. Westermann Gesch. d. röm. Beredtsamk. 52, 15. Fischer röm. Zeittafeln a. 661. Meyer. orat. Rom. fr. p. 207).

<sup>62)</sup> De senibus immolatis vid. Osenbrüggen priore loco p. 1007, altero p. 52 sqq. De hostiis humanis vid. Porphyr. de abstinentia II, 53. Clement. Alex. protrept. 3, 42, p. 12 ed. Sylburg. 36 sq. Potter. Euseb. praeparat. euangel. IV, 16. de laudibus Constantini 13. Theodoret. therapist. VII, p. 894 ed. Schulze. Cyrill. contr.

quod, etiamsi quis non plurimi pendat, quas de sanguine humano in honorem Iovis Latianis profuso patres Christiani tragoealias excitant,<sup>63)</sup> „DCVII demum anno urbis“ ut Plinius refert nat. hist. XXX, I, 3, „Cn. Cornelio Lentulo P. Crasso coss. senatusconsultum factum est, ne homo immolaretur, palamque fuit in tempus illud sacri prodigijs celebratio;“ atque, etiamsi ad exteris gentes id SC. referri posse videatur, ne post illud tempus quidem omnia tētērī moris exempla in pop. Rom. deleta inveniuntur?<sup>64)</sup> non dubitamus, quin hominum priscis temporibus immolari solitorum vicarii fuerint illi, de quibus dicere coepimus, defecti quotannis in Tiberim Argei; uti pro certo posuit Plutarchus quaest. Rom. 86: ὅτι τῷ μηνὶ τούτῳ τὸν μέγιστον ποιοῦνται τῶν καθαρμῶν, νῦν μὲν εἰδὼλα διποιοῦντες ἀπὸ τῆς γεφύρας εἰς τὸν ποταμόν, πάλαι δὲ ἀνθρώπους.

Verum quoniam haec nobis de Argeis dicendi materia oblata est, facere non possumus, quin de sacrarīis Argeorū non nihil commēmemorēmus, quamquam spinosissima ea quaestio est ac fere, ut aiunt, quot homines, tot sententiae, quas et referre longum est et diūdicare, certe ut meus nunc captus est, fere τῶν ἀδυνάτων.<sup>65)</sup> Itaque, quum magna eius quaestione pars non hoc potius quam vel ad urbī Romae descriptionem vel etiam ad iuris publici historiam pertineat, ne fines huic libello constitutos longius egrediamur, missis virorum doctorum opinionibus controversisque, afferendo veterum dicta ac propōnendo nostram sententiam paucis defungi liceat. Varro igitur de ling. Lat. V, 8, 45 (IV, p. 14), postquam in referendis locis urbanis separatim de monte Capitolino, deinde de Aventino interiecto Velabro dixit, sic pergit: „Reliqua urbī loca olim discreta, quom Argeorū sacraria in septem et XX partis urbī sunt disposita. (Argeos dictos putant a principibus, qui cum Hercule Argivo venere Romam et in

Iulian IV, p. 128 sq. ed. Spanhem. Athanas. contr. Graec. p. 26 sq. ed. Colon. a. 1686. Tertullian. apologet. 9. Lactant. inst. divin. I, 21. epitom. ad Pentad. 23. E recentioribus Alexandr. ab Alexandro genial dier. VI, 26 c. annot. Tiraquelli. De Graecis plurima contulit Wachsmuth. Hellen. Alterthumskunde II, p. 549 sqq. ed. alt.; et anno superiore separatis scriptis Reinh. Suchier in dissertatione Marburgensi ac programmata Hanoviensi. De Massiliensibus quae tradidit Petronius ap. Serv. ad Virg. Aen. III, 57, iis simillima sunt, quae de Albanis Asiaticis Strabo XI, 4, 7, p. 417 ed. Tchm. De Gallis et Romanis cfr. nostr. excurs. IV et V. De Hebreis cfr. Winer bibl. Realwörterb. v. Iephata, et v. Opfer. De aliis laudatur F. C. Baur Symbol. u. Mytholog. II, 2, p. 293 sqq.

<sup>63)</sup> Vid. excurs. IV.

<sup>64)</sup> Vid. excurs. V.

<sup>65)</sup> Cfr. Bunsen Beschreib. d. Stadt Rom I, p. 146 sqq. 688 sqq. O. Müller in Boettigeri Archäologie u. Kunst. I, 1, p. 69 sqq. ad Fest. p. 385. Becker de Romae vet. mur. atq. port. p. 23 sqq. Hdb. I, p. 101. 127 sqq. 220. 224sq. 247. 385. 417sqq. 495sqq. 529sq. 534. 565. 586 sqq. Hartung Rel. d. Röm. II, p. 103 sqq. Huschke Verl. d. Serv. Tull. p. 62sqq. 86sqq. 706sqq. Ambrosch Stud. u. Andeut. I, p. 198. 211 sqq. Klausen Aeneas u. d. Penat. p. 934 sqq. (Merkel ad Ovid. Fast. p. CLXXI.) Hertzberg de Diis Rom. patr. p. 54 sqq. Göttling Gesch. d. röm. Staatsverfass. p. 59. 191 sqq. Woeniger Sacralsystem d. Röm. p. 140 sqq. Theod. Mommsen röm. Tribus p. 15 sqq. 211 sqq. Pfund altital. Rechtsalterth. p. 259 sqq. Haec quidem mihi innoverunt; sed quantumcunque huius loco studii atque acuminis a viris doctissimis in diversa abeuntibus impensum est, nondum discussa tot luminibus caligine, unice probamus Ambroschii modestiam, dicentis p. 211: „Ich gestehe, dass mir weder das Opfer der Binsenmänner, noch die Eintheilung der Stadt nach den Argeischen Kapellen in ihren Beziehungen auf die geistliche und städtische Verfassung des alten Roms hinlänglich klar ist.“

Saturnia subsederunt.) E quis prima est scripta regio Suburana, secunda Exquolina, tertia Collina, quarta Palatina.“ Eoque ordine singulas regiones describit §. 46—54 (p. 14—17); e quibus afferimus haec: 46. „In Suburanae regionis parte princeps est Caelius.“ 47. „Carinae et inter eas quem locum Ceroliensem appellatum appetet, quod primae regionis quartum sacrarum scriptum sic est:

Ceroliensis, quarticeps circa Minervium qua e Caelio monte iter in Tabernola est.“<sup>66)</sup>

..... „Hinc oritur caput Sacrae Viae ab Streniae sacello, quae pertinet in Arcem“ etc. 48. „Eidem regioni attributa Subura..... in ea est Argeorum sacellum sextum.“ 50. In secunda regione: „Exquiliae duo montes habiti, quod pars [Oppius, pars] Cespeus mons suo antiquo nomine etiam nunc in sacrariis appellatur. In sacris Argeorum scriptum est sic:

Oppius mons, princeps Exquilis ouls lucum Facutalem; sinistra via secundum moerum est.

Oppius mons, terticeps cis lucum Exquilinum, dexterior via in Tabernola est.

Oppius mons, quarticeps cis lucum Exquilinum, via dexterior in Figulinis est.

Cespius mons, quinticeps cis lucum Poetelium [...] Exquilinis est.

Cespius mons, sexticeps apud aedem Iunonis Lucinae, ubi aeditumus habere solet.“

51. „Tertiae regionis colles quinque ab Deorum fanis appellati, e quis nobiles duo colles, Viminalis....., collis Quirinalis..... 52. Quod vocabulum coniunctarum regionum nomina oblitteravit; dictos enim collis plureis appetet ex Argeorum sacrificiis, in quibus scriptum sic est:

Collis Quirinalis, terticeps cis aedem Quirini.

Collis Salutaris, quarticeps, advorsum est Apollinar, cis aedem Salutis.

Collis Martialis, quinticeps apud aedem Dei Fidi in delubro ubi aeditumus habere solet.

Collis Latiaris, sexticeps in vico Instelano summo, apud auraculum: aedificium solum est.“

54. In regione Palatina, postquam de ipso Palatio dixit: „Huic Germalum et Velias coniuxerunt, quod in hac regione scriptum est sic:

Germalense quinticeps apud aedem Romuli;

et Veliense sexticeps in Velia apud aedem Deum Penatium.“<sup>67)</sup>

Paulus Diaconus exc. Fest. p. 19: „Argea loca Romae appellantur, quod in his sepulti essent quidam Argivorum illustres viri.“ Livius hist. I, 21 de rege Numa: „Multa alia sacrificia locaque sacris faciens, quae Argeos pontifices vocant, dedicavit.“ Vetus glossarium Labbeanum: „Argiarra ἀργιθμάτα.“<sup>68)</sup>

<sup>66)</sup> Haec ex sacris Argeorum verba, uti sequentia, foedissimis vulneribus inficta, quibus audacius critici mederi conati sunt, reddidi ex recensione Mülleriana, non quod hanc Bunsenii Beckerive aut aliorum emendationibus usquequa veriorem putarem, sed quod in re obscurissima neque consilii neque iudicii mei esse intelligerem, quid praferendum esset, decernere.

<sup>67)</sup> Müller ad Fest. p. 383, numero sacrariorum in codicibus Varronianis tradito confisus, ex mutilis Festi verbis v. Mutini Titini p. 154 etiam tale quid effinxit:

„Veliense septiceps“ (vel „octiceps“) „apud sacellum Mutini Titini dextra via iuxta diverticulum“, quod nobis vel propter inaequalitatem distributionis numerum illum corruptum putantibus parum probatur. Cfr. Mommsen. p. 213 sq.

<sup>68)</sup> Scaliger et Vulcanius emendarunt: „Argei ara“, quod vix probandum; acutius O. Müllerus rra litteras e numeris ortas vidit; voluit ipse XXVII, mihi verius et scripturae monachicae propius videtur XXIV.

E Varronis verbis appetat, sacraria Argeorum ad quattuor illas urbis regiones pertinuisse, a quibus et mons Capitolinus et Aventinus fuere exclusi, et suo arbitrio uti, qui, quum non ultra sextum sacrarium singulis regionibus tributum apud Varromem inveniatur, reliqua tria in Capitolo querenda putant. Sunt autem eae regiones quattuor tribubus consentaneae, quas Servius Tullius rex instituisse dicuntur, qui, ut Livius I, 43 ait, „quadrifariam urbe divisa regionibus collibusque, quae habitantur partes, tribus eas appellavit“; Varro enim scribit d. l. L. V, 56 (IV, p. 17) sic: „Ad hoc quatuor quoque parteis urbis tribus dictae ab locis, Suburana, Palatina, Exquolina, Collina.“<sup>69)</sup> Et tribuum nomen et Servianorum institutorum ratio docent, plebis urbanae potissimum hic res agi, de patriciis non cogitandum,<sup>70)</sup> nec tamen ita, ut patres ab his regionibus exclusi Capitolium unice tenuisse putentur. Qui enim montem Capitolinum urbem patriciam faciat, non minus erraverit, quam qui Aventinum plebeiam. Hic, ut ager publicus, extra pomoerium, ille, ut arx communis, intra; uterque non immerito a partium divisione exclusus.<sup>71)</sup> Qui vero Argeos ab Argivis ab Hercule in Saturnia i. e. in monte Capitolino<sup>72)</sup> subsidentibus repetebant, non tam eo peccabant, quod urbis originem ad arcis conditores quosdam referebant, quam quod Argeos ab Argivis vocatos putabant, propriae linguae naturam ignorantes,<sup>73)</sup> ab eorumque sepulcris, tanquam herorum quorundam eponymorum, denominatos, id quod de sedecim vel septendecim tribubus rusticis<sup>74)</sup> commodius in opinionem venire poterat. Placeant sibi alii expiscando nescio quid verae historiae ex istis litteratorum Graecantium somniis, non invideo, nec nationum Italicarum pervetustam cum Graecis cognationem, ut ita dicam, atque consanguinitatem quandam infitor; idem tamen Argivos nihil

<sup>69)</sup> Fortuita videtur haec ordinis immutatio, non consilio facta; sic etiam Paulus Diaconus exc. Fest. v. urbanas tribus, p. 368 hoc eas ordine enumerat: 1, 4, 2, 3; Dionysius Hal. ant. IV, 14 hoc: 4, 1, 3, 2; Plinius nat. hist. XVIII, 3, 3 hoc: 1, 4, 3, 2; Livius epit. XX hoc: 2, 4, 1, 3. Cfr. Becker. Hdb. II, 1, p. 165 sq. Verus videtur regionum ille ordo atque etiam, quidquid contradixit Goettlingius Gesch. der röm. Staatsv. p. 236, australi disciplinae convenientissimus.

<sup>70)</sup> Ideoque non magis de curiis veteribus, quibuscum sacraria Argeorum confudit Goettlingius p. 59 et 191 sq., aliis argumentis satis refutatus a Beckero Hdb. I, p. 101. Quamquam est aliqua ratio, qua conferri cum curiis Argei queant, uti mox dicetur.

<sup>71)</sup> Wachsmuth. hellen. Alterthumsk. I, p. 805 ed. alt.: „Wesentlicher Bestandtheil eines heroischen Gau's war die Burg, aber gleichwie die Heroen aus der Masse hervorragten, so wird jene nicht sowohl als im Gau begriffen, vielmehr als ein zu ihm Geselltes betrachtet.“

<sup>72)</sup> Varro d. l. L. V, 5, 42 (IV, p. 13) de monte Capitolino scribens: „Antiquum oppidum in hoc fuisse Saturnia scribitur.“ Cfr. ann. 31.

<sup>73)</sup> Vid. p. 13.

<sup>74)</sup> Aemilia, Camilia, Claudia, Cornelia, Fabia, Galeria, Horatia, Lemonia, Papiria, Pollia, Popillia, Pupinia, Romilia, Sergia, Veturia, Voltinia. Ita Beckerus Hdb. II, 1, p. 169: alias alii, aliis omissis, in ordinem receperunt, ut Niebuhr. röm. Gesch. I, p. 433 ed. sec. Hüllmann. röm. Grundverfass. p. 68. ius pontif. d. R. p. 7 sqq. Huschek. Verf. d. S. T. p. 658 sq. Grotefend. röm. Trib. in Ztschr. f. d. Alterthumsw. 1836 n. 114, p. 915 sq. Goettling. Gesch. d. r. Staatsv. p. 238. Th. Mommsen. röm. Trib. p. 7. Pro decima septima Crustumina Niebuhrius Tarquiniam excidisse putavit. Relique XIV eaeque anno 259 recentiores non ab hominibus, sed, sicut urbanae, a locis nomina habuerunt. Notum est, decem tribus Atticas ab heroibus fuisse appellatas.

hic morandos censeo.<sup>75)</sup> Dicam breviter, quod sentio. Constat comitia curiata patriciorum fuisse, tributa plebis, illa a curiis, haec a tribubus dicta; et curiata quidem, ut est nobilissima sententia Laelii Felicis ap. Gell. nocti. Att. XV, 27, „cum ex generibus hominum suffragium ferretur,“ tributa, „cum ex regionibus et locis.“ Itaque ut patricii distributi erant per gentes, sic plebeii per loca. Illorum tres fuisse antiquae tribus gentiliciae (*γρυλαὶ γενικαῖ*, Dionys. IV, 14), Ramnes, Tities, Luceres, singularum denae curiae, universae triginta, quibus sua fuisse sacra; horum quattuor tribus regionales (*γρυλαὶ τοπικαῖ*, Dionys. I. I.), Suburana, Exquillina, Collina, Palatina, singularum seni loci sive pagi, universi quattuor et viginti, item suis sacrariis praediti; hinc loca Argea, locos Argeos vocabant. Itaque Festus „Argea loca“ dixit, Livius „loca, quae Argeos pontifices vocant,“ Varro non „sacraria Argea,“ sed „Argeorum.“ Respondeant igitur Argei quadantenus curiis, sed ut hae ad patricios *γενικῶς*, illi ad plebem potissimum *τοπικῶς* pertineant. De nominis origine nolim argutari; interim placebit, qui probarit, dici potuisse ab ericundo i. e. dividendo.<sup>76)</sup> Ad numerum vero quod attinet, non dubitamus iis accedere, qui corruptum existimant

<sup>75)</sup> Paucis hic commemoretur Argiletum, quod inter forum Romanum et collem Quirinalem prope Suburam situm ostendit Beckerus Hdb. I, p. 257 sq. De hoc similia fabulati sunt grammatici veteres. Varro d. l. L. V, 32, 157 (IV, p. 44): „Argiletum sunt qui scripserunt ab Argola seu quod is hic venerit ibique sit sepultus.“ (Millerus „Agrola“ post „seu“ inseruit, vereor, ut recte.) Argus vulgo vocatur, cuius de morte plures fabulas tradit Servius ad Virg. Aen. VIII, 345; a qua morte dictum locum plurimos credidisse praeter Virgilium l. l. testis est Martialis, qui per tmesin Argi letum vocibus interpositis dixit epigr. I, 117, 9. II, 17, 3. Contra „alii ab argilla, quod ibi id genus terrae,“ ut Varro ait l. l., vel „Argiletum, quasi argilletum, multi volunt a pingui terra,“ ut Servius l. l. Sed non magis hoc mihi persuadetur, non modo eam ob causam, quam attulit Beckerus Hdb. I, p. 261; verum etiam quod neque argillae vocabulum adeo antiquae Latinitatis esse videtur, neque „sacri nemus Argileti“ vel adeo strata terrae argillosae per solum diffusa dici satis commode posse argilletum i. e. locus argillis obsitus, ut saxetum, querchetum, rosetum, alia. Nondum inveni, qui et ipse περιεχόμενος locum cavernosum dixerit, quod prope lacum Avernum, teste Ephoro ap. Strab. geogr. V, 4, 5, p. 396 Tchn. (unde Eustath. ad Homer. Odys. 1, 13 et ad Dionys. perieg. 1166), mansiones quaedam subterraneae, Cimmeriis ab ipso tributae, argillae vocatae fuerunt. (Cfr. Suid. v. Ἀργείλα.) De quo loco vid. Marx. ad Ephor. fragm., p. 148 sq. quosque ibi laudavit, et Klausen. Aen. p. 209. 937. 963. cfr. Merkel. p. CLXXI.

<sup>76)</sup> De c et g permutatis cfr. ann. 41. Klausenius et Huschkius quae tentaverint in hoc nomine, supra commemo-ravimus; annot. 39. 33. 45. Hartungo II, p. 104, recte iudicanti, scirpes illos Argeos, de quibus ante diximus, fuisse „Sühnopfer für die entsprechenden Stadttheile“, visum est vocabulum argeus maxime convenire ad Graecum ἄργος, quod non solum fuerit urbis clarissimae aliarumque quarundam nomen proprium, sed potius ab initio appellativum, auctore Strabone, loci naturam denotans atque etiam postea vernaculum Thessalis. Strabo enim VIII, 6, 9, p. 200 Tchn. ἄργος apud recentiores vocari ait campum (*πεδίον*), maximeque Thessalicum et Macedonicum vocabulum putari; campum vero maritimum (*χατά θάλασσαν, παραθαλάσσουν*) dicunt Stephanus Byz. v. Ἅργος et Eustathius ad Dionys. perieg. 419, (onde fortasse apud Strabonem restitutas πεδίον λέγεται παραθαλάσσου παρὰ τοῖς νεωτέροις,) quod nisi esset, cogitares de Septimontii pagis Mommsenianis, p. 16 et 212. Goettlingius vero p. 192 ab arcendo, sicut nonnulli apud Festum v. sexagenarios, arceos dictos putavit, sed corupta paenultima et potestate activa, quemadmodum abigeos ab abigendo, permutatis c et g argeos, uti vice versa urecum ab urgendo; arceri enim piacula (die Sündie). Saltem recte fecit, quod Argēos Argivos arcuit. Idem melius certe quam hos referri hue posse ait ὄργη et ὄργεων, cogitans minus recte de Atticorum sacris gentiliciis. Ferrem quodam pacto ὄργεων, si constaret, ab eodem verbo primigenio ductos, a quo ὄργη τὰ ἱερὰ χωρία καλεῖται, τὰ ἀρμενομένα τοῖς θεοῖς, in Lexic. rhetor. in Bekker. Anecd. Gr. p. 287, i. q. τέμενος (a verbo τέμενων, ut sacrum a secando, quod resectum est a reliquis; cfr. Gesenius hebr. u. chald. Hdwrterb. v.

et pro VII et XX facilissima mutatione rescribendum IIII et XX;<sup>77)</sup> qui numeros non minus in rebus antiquis quam tricenarius auctoritatis habet, cfr. Huschke p. 706. Dicta autem videntur ea loca princeps, terticeps, quarticeps, quinticeps, sexticeps, sive quod ibi coepere singuli Argei, sive quod ii loci singulis sacellis capti sunt, seu, quod parum differt, quod ibi pro singulis auguria capta.<sup>78)</sup> Secundae et tertiae regionis Argeos per montes et colles descriptos videmus; ex prima et quarta qui nominantur Ceroliensis et Germalense ac Veliense, his qualia nomina subtracta simulque audienda sint, quaeque descriptionis causa fuerit, latet.

Sunt igitur totidem loci Argei, quot scirpea hominum simulacra, Argeos itidem nominatos, Varro dicit quotannis de ponte subilio a sacerdotibus publice defici solere in Tiberim. Unde apparet, illud sacrificium ad totius civitatis expiationem ita spectasse, ut pro singulis locis singula simulacula deificerentur, nomenque ab ipsis locis in vicarias effigies transiret. Quod ita fortasse interpretandum est, id actum esse ab initio, ut urbs aqua lustraretur; ideo singulorum Argeorum vicarios fluvio datos singulos homines, senes opinor, deinde pro hominibus simulacra. *Kαεραρησ* eum ritum dictum vidimus a Plutarcho quaest. Rom. 86. Qui vero XXX simulacra deiecta dixerunt, ut Dionysius I, 18, quem, ut Graecum, minus credibile est ipsi sacrificio adfuisse, quam Varrom Romanum, ideoque fide huic posthabendum, ii aut XXVI tribus rusticis Servianas (Dionys. IV, 15. Varr. ap. Non. v. viritim, p. 43.) cum IIII urbanis computasse videntur,<sup>79)</sup> aut de curiis patriciorum cogitasse<sup>80)</sup> parum tempestive, quum Argeos non ad patriciam gentium rationem, sed ad plebeiam locorum potius revocandos dixerimus.<sup>81)</sup>

---

charam). Possis etiam, ut curias cum *γραρχίαις*, ita Argeos comparare cum *δῆμοις*, scilicet vocatis *ἀπὸ τοῦ δαιμονίου*, ut *χώρα* continetur cum verbo *χωρίζειν*. Sin tamen utique sacri notio desideratur, occurrit, haruspices (*ἱεροσκόποις*) apud grammaticos, Donatum ad Terent. Phorm. IV, 4, 28 et Vellum Longum de orthogr. p. 2233, denominatos dici ab haruga (*ἱερεῖῳ*), aruspices ab aruga, quam quidam arvagam dicebant; unde officias locos arugeos sacris faciendis sive hostiis immolandis destinatos. Sed oblitus sum, me noluisse argutari. Unum addo; etiam nomen proprium gentile est Argius, et invenitur quidam Q. Argius Q. f. Celer in lapide Telesino ap. Iacobonii append. ad Fontei comment. de prisa Caesiorum gente (Bononiae a. 1583) p. 57.

<sup>77)</sup> Plane geminum errorem in loco Festi v. novae curiae, p. 174 corrigendum esse, iam pridem optimi critici intellexerunt, quibus frustra hodie quidam repugnant „Septem curiarum per religiones evocari non potuerunt; itaque Foriensis, Raptae, Veliensis, Veltitiae res divinae fiunt in veteribus curiis;“ scribendum: *Quatuor.*“ V enim apud veteres scribebatur lineolis non in angulum acutum coeuntibus, sed infra dextrorum curvatis, ut etiam nuper deprehensum est in fragmanto codicis vetustissimi libri XCVIII historiarum T. Livii.

<sup>78)</sup> Paul. Diac. p. 71: „Deinceps, qui deinde coepit, ut princeps, qui primum coepit.“ p. 75: „Deincipem antiqui dicebant proxime quemque captum, ut principem primum captum.“ Posteriori rationi faveret anceps, si a capiendo potius quam a capite ductum nomen esset; nam horum in nominum declinatione, quae in ceps exeunt, anomalia saepe analogiam obscuravit, ut dicerentur ancipes et ancipites, bicipes et bicipites, praecipes et praecipites (Priscian. inst. VI, 18. VII, 9; sed „securicula ancipes“ ap. Plaut. Rud. IV, 4, 114 singularis est;) et ab Apuleio florid. III, 16 „deincipiti die“, quod est rationi priori proprius. — Fortasse etiam in sacrariis Argeorum secundus quisque locus, qui apud Varrom nescio quo casu nullus appareat, dictus fuerat deinceps.

<sup>79)</sup> Cfr. Mommsen r. Tr., p. 214. — E Dionysii loco Aldus interpolavit Varronianum mutando XXIII in XXX.

<sup>80)</sup> Ut fortasse Ovidius fast. V, 627, si recte iudicavit Merkelius p. CIV et CLXXI, in illis versibus:

Falcifero libata seni duo corpora, gentes,  
mittite, quae Tuscis excipiantur aquis,

Putaverunt quidam viri docti, per haec Argeorum sacraria quotannis pontifices cum virginibus Vestalibus aliisque sacerdotibus pompam duxisse; quod etsi per se non est incredibile, iis tamen, quae

legendum: „quot corpora gentes,“ ut hyperbato usus poeta gentes pro curiis dixisse videatur. Item Santra eiusdem Merkeli*i* iudicio p. CIV; vid. supr. p. 12. Fortasse Fordicidia fraudi fuerunt, v. annot. 89.

- <sup>81)</sup> Non dubito fore plerosque, qui vix aequo animo ferant, quum ab homine novo seu potius inquilino barum litterarum et iuris Quiritium experte banc legent prolatam sententiam, pontificatum illum populi Romani tot clarissimis nominibus patriciis splendidum, in quem a. u. 454 demum lege Ogulnia aucto sacerdotum numero quattuor de plebe electi traduntur (Liv. X, 6, 9), a. u. 500 demum primus ex plebe creatus pont. max. Ti. Coruncanius (Liv. epit. XVIII), tamen videri ab initio pertinuisse ad rem plebeiam. Quibus fere respondemus, posse factum esse, ut aut occupata a patriciis iura aliquanto post demum plebs recuperarit, aut summa quaque sacerdotia non visa sint nisi a primoribus civibus optimoque iure praeditis debere administrari; neque vero tam certam nobis stare sententiam, nihil ut reliquum esse controversi videamus, verumtamen a nobis non impetrasse, ut, quae lucubrantibus identidem coniectura sese obtulisset, eam ut silentio opprimemus. Videant doctiores, utrum prorsus sit abiicienda, an digna, de qua amplius quaeratur. Interim age, potiora quadam argumenta ponamus. Quattuor igitur pontifices, quos ante legem Ogulniam Livius fuisse scribit, (qui ubi sub regibus et II, 2 singulare numero pontificem dicit, maximum intelligi vult,) cum quattuor tribubus ac regionibus urbanis ita convenient, ut singuli singularum sacris praefuisse videantur, quintus, quem Cicero de re publ. II, 14 commemorat, pro maximo habendus ac praepositus universis. Hinc quattuor de plebe ab Ogulniis additi, quum priorum locos patricii tenuissent. Pariter cum tribus tribubus gentiliciis convenient tres flamines maiores, quorum nunquam non patricia fuere sacerdotia, sicuti eius, qui cunctis praecerat, regis sacerorum. Hinc intelligitur, cur in antiquo ordine sacerdotum primo loco fuerit rex, dein flamen Dialis, post hunc Martialis, quarto Quirinalis, quinto denique pontifex maximus; vid. Fest. v. ordo sacerdotum, p. 185; cfr. Gell. X, 15. Deinde cum comitiis tributis coniunctos pontifices invenimus. Q. Furo pontifice maximo comitia habente primi post decemviralem potestatem alteramque plebis secessionem tribuni plebis creati sunt; Liv. III, 54; eadem ratione, qua saepius consularia comitia ab interrege sunt habita. Ac probabile est, idem factum, quum post primam plebis secessionem tribuni plebis instituti sunt, indeque leges sacras extitisse et sacrosanctam potestatem. Quod autem tentatum est a. u. 609 lege Licinia (Cic. Lael. 23, 96), effectum a. u. 650 lege Domitia (Cic. de leg. agrar. II, 7, 18. epist. ad Brut. I, 5. Sueton. vit. Ner. 2. Vellei. II, 12, 3), ut cooptatio collegiorum ad populi beneficium transferretur, et sacerdotes per tribus XVII sorte ductas crearentur, eo scilicet consilio, si verum dixit Cicero de leg. agr. I, 1, ut supplicaretur populo, et quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur: eadem iam pridem fuerant comitia pontificis maximi; Cic. I, 1. Quum enim reliqui pontifices ante legem Domitiam a collegio cooptarentur, maximus comitilis tributis creabatur; qua de re brevitatis causa unum appello Norisium cenotaph. Pisan. I, 5, p. 87. II, 5, p. 176 sqq. (ed. Pis. a. 1764). Verum quod de minore parte populi Cicero ait, quamquam haud dubie minor pars fuit, ex quo XXXV numero tribus factae sunt, id tamen pro consiliis tum ratione callide de populi auctoritate detrahenti non crediderim statim ab initio sic fuisse institutum; fuisse enim, ut equidem sentio, res nimium mira, si quod IX tribus scivissent, eo reliqua XXVI se teneri voluissent; sed rem vetustissimam ea, quae in sacris esse solet, immutabilitate in alia tempora perdurasse; atque sicuti, quod est in Ciceroniana oratione de harusp. respons. 6, 12, quod tres pontifices statuissent, id semper satis sanctum senatum populoque Romano esse visum, ab iis ortum est temporibus, quibus ante legem Ogulniam quattuor vel quinque fuere pontifices, ita XVII illam tribuum potestatem putaverim pertinere ad eorum temporum memoriam, quum, ut a. u. 259, XVII essent tribus rusticæ eaque gentiliciis nominibus appellatae (v. annot. 74), hisque quintum pontificem i. e. maximum ita respondisse, ut quatuor reliqui quattuor urbanis. Mitto iam M. Aemilium Scaurum pont. max. a Cn. Domitio trib. pl. (a. u. 650) postulatum, quod ipsius opera multa sacra pop. Rom. obliterata aut eversa essent (Ascon. in Cic. or. pr. Scaur. I, 1); mitto iis in locis, quos ann. 40 attuli, exceptis ac fortasse ne excipiendis quidem virginum Vestalium iudiciis, dispici quandam in pontificibus plebis gratiam; pluraque nunc argumenta sciens praetereo,

afferri solent, veterum scriptorum dictis non necessario efficitur. Ovidius fast. III, 791 de die tertio post Idus Martias locutus haec ait:

Itur ad Argeos (qui sint, sua pagina dicet,)

hac, si commemini, praeteritaque die.

Qui quum in sex, qui supersunt, fastorum libris iterum Argeos nominatum non commemorari, plurimi non viderunt, „paginam“ eam incipere ab I. V v. 621 et pertinere ad v. 662, quibus de versibus iam saepius dictum nobis est. Vedit vero Merkelius p. CLXX. Nec aliam, quam quae redit Idib. Mai., hoc loco indicari Argeorum caerimoniam, videtur etiam ex Ennii illis versibus colligi posse, quos attuli p. 10 et ad festa, quae fuerunt circiter Id. Mart., spectare intelligo. Nam „mensae“ quidem „et ancilia“ nos commonefaciunt dierum Salarium, qui quum plurimi essent mense Martio, tum ipsis Idibus Mamuralia cum memoria Mamurii Veturii, anciliorum artificis, agebantur; vid. Merkeli. I. I. Müller. ad Varr. VI, 6, 45. Cfr. Ovid. f. III, 260—392. Eisdem „Idibus est Annae festum geniale Perennae“, Ov. 523, quo festo plebeio repetebatur memoria Annae Bovillanae aniculae, quae quondam plebi in Monte Sacro cibatus inopia pressae „singebat tremula rustica liba manu, atque ita per populum fumantia manc solebat dividere,“ v. 670 sqq.<sup>82)</sup> Quae sive verior causa est, sive ea, quam graecatiorem, ut ita dicam, poeta cecinit v. 734—767; Liberalibus, qui dies agitur d. III post Id. Mart., „villis anus populos ad sua liba vocat,“ v. 726; „per totum oppidum eo die sedent sacerdotes Liberi, anus edera coronatae, cum libis et foculo pro emptore sacrificantes,“ Varro d. I. L. VI, 3, 14 (V, p. 55). Satis hinc apparet, quid cogitaverit Ennius scribens: „libaque, factores.“ Itaque si teste Ovidio, „hac praeteritaque die itur ad Argeos,“ eosdem patet significare Ennum; eosdem vero Ennii interpres Varro dixit fieri e scirpis simulacula hominum XXIII, eaque quotannis de ponte subilio a sacerdotibus deiici solere in Tiberim. Id quod Idibus Maiis fieri ipse Ovidius refert V, 621 cum Dionysio I, 38 et Plutarcho qu. R. 32. 86. Neque alia meo iudicio apud Gellium X, 15 sententia est Fabii Pictoris,<sup>83)</sup> ubi inter caerimonias, quas flaminicam Dialem seorsum aiebant observitare, refert: „atque etiam cum it ad Argeos, quod neque comit caput neque capillum depeccit.“ Etenim Plutarchus qu. R. 86, quaerens cur mense Maio uxores non ducantur, ait: ἦ διτι τῷ μηνὶ τούτῳ τὸν μέγιστον ποιοῦνται τῶν καθαριῶν, νῦν μὲν εἴδωλα θυτοῦντες ἀπὸ τῆς γεφύρας εἰς τὸν ποταμόν, πάλαι δὲ ἀνθρώπους; διὸ καὶ τὴν φλαμινίναν, ἵερὰν τῆς Ἡρᾶς εἶναι δοκοῦσαν, τενόμισται συνθρωπάζειν μήτε λονομένην τημικαῖτι μήτε κοσμομένην. Id vero dubium est, quid sit, quod idem sacrum et biduo post Idus Martias et Idibus Maiis (et his quoque biduo, ut Merkelius quidem I. I. visus est indicare voluisse Dionysius I. l.) actum tradatur. Bis quotannis actum vix credideris, quamquam tempus nuptiis

quod aut leviora sunt, aut sine ambagibus explicari non possunt; unum addo, quod Livius ait, I, 20, Numam sacra omnia pontificis scitis subiecisse, ut esset, quo consultum plebes veniret.

<sup>82)</sup> Etsi non faciam permagni, tamen non annotare nolui, casu singulari etiam in hoc versu Enniano concurrere factis plebeiae memoriam cum sacrificio Argeorum, qua de re aliiquid diximus p. 14.

<sup>83)</sup> Non, ut plerique volunt, Masurii Sabini, IOti sub Tiberio et Nerone clarissimi (Voss. hist. Lat. I, 21. Fabric. bibl. Lat. III, p. 489 sq. ed. Ern. O. Iahn ad Pers. sat. V, 90), cuius nil nisi brevis sententia est a Gellio Fabianis verbis interiecta.

infaustum et flaminicae ille castus etiam aliis anni temporibus reddit.<sup>84)</sup> In fastorum vero lapideorum, quae supersunt, fragmentis quod neutro loco de ea Argeorum caerimonia mentio facta est, id etiam aliis diebus festis accidit. Si mihi sententia dicenda sit, aut conceptivas fuisse ferias putaverim, aut, quum quodam tempore certas ob causas ex alio in aliud mensem traiectae essent, diversorum temporum memoriam sive iisdem in fastis hæsisse, sive variis ex fastis ab Ovidio esse conflatam. Fortasse aliquoties ad initium anni consularis redactum fuit sacrum, exin compluribus annis immotum mansit. Nam antequam ab a. u. 601 consules Kalend. Ianuar. magistratum inire coeperunt, qui dies post id tempus solennis ei rei permansit, inde ab initio secundi belli Punici per septuaginta circiter annos consules magistratum inierunt Idibus Martis; Becker. Hdb. II, 2, p. 100 sqq. Fischer Zeittaf. a. 532 et 601. Eodem vero tempore Q. Ennius poeta Romae floruit, quem ad postrid. Id. Mart. Argeos referre intelleximus. Sed ante id tempus vix fuit rei publicae ac praesertim plebeiae, quacum et Argeos et vero etiam pontifices pluribus rationibus contineri nostra fert opinio (vid. p. 22 et 24), ullum annis decemviralibus gravius, quibus Idus Maiae solennes ineundis magistratibus erant; Becker. p. 97. 134. Fischer. a. 304 sq. Inde Idib. Mai. deiecti Argei videntur; ac fortasse id feriarum tempus restitutum post a. 601, nisi Ovidium Dionysiumque et Plutarchum, quod caerimoniae, quam usque ad eorum tempora agi solitanum Dionysio affirmanti facile credimus, ipsi, ut peregrini, non adfuisserint, de tempore non sibi cognita, sed a vetustis auctoribus accepta retulisse existimemus.<sup>85)</sup> An illud Ovidianum „si commememini“ complementum numerorum potius quam dubitantis vox esse videbitur?

<sup>84)</sup> Ovidius fast. III, 397, ubi de Mamuralibus i. e. Idib. Mart. dixit:

His etiam coniux apicati cincta Dialis  
lucibus impexas debet habere comas.

Et VI, 229 de eo die, quo stercus deferebatur ex aede Vestae i. e. post. d. III Id. Iun., haec sibi dicentem facit flaminicam Dialem:

Non mibi detonsae crines depectere buxo  
non unguis ferro subsecuisse licet,  
non tetigisse virum, quamvis Iovis ille sacerdos,  
quamvis perpetua sit mihi lege datus.

De nuptiis per eadem tempora differendis vid. III, 393 sqq. VI, 223 sqq. 233 sq. Fuere illi dies purgatoriis, et prior ille castus verius a Merkelio ad Argeorum caerimoniam quam ab ipso Ovidio ad Saliorum relatus videtur. De Servii loco ad Virg. Aen. II, 166, quo pontificum quaedam cum Saliorum sacris necessitudo indicari videtur, alias dicemus. (NB. castus a carendo; caerimonia i. e. caesimonia a caedendo, ut feriae et festum a feriendo.)

<sup>85)</sup> Mais Idibus nescio an commendationi sit, quod legitur ap. Serv. ad Virgil. bucol. VIII, 82: „Virgines Vestales tres maximae ex Nonis Maiis ad pridie Idus Maias alternis diebus spicas adores in coribus messuariis ponunt, easque spicas ipsae virginis torrent, pinsunt, molunt, atque ita molitum condunt. Ex eo farre virginester in anno molam faciunt, Lupercalibus, Vestalibus, Idibus Septembribus, adiecto sale coto et sale duro.“ „Liberalibus“ legerem, propter religionem ab Ovidio f. III, 393 sqq. commemoratam, nisi constaret, Lupercalia fuisse diem februatum i. e. purgatorium vel lustralem; Vestalia, quae a. d. V. Id. Iun. agebantur, VII ante die quam ex aede Deae stercus deferretur (annot. 84), in tempus religiosum incidebant; Idus Septembres, quod clavo pangendo solennes erant, ad anni initium quoddam spectabant; v. Müller. Etrusk. II, p. 330. Ergo non contempnendum putamus, quod illis ipsis diebus initium virginibus Vestalibus erat molae salsa facienda, quos

Neque tamen hoc, quod modo dixi, ita premam, ut, quum praetoriam potestatem e consulari natam esse constet, id quoque eodem spectare censem, quod Dionysius praetores Argeorum deiectioni affuisse scribit. Vix enim dubium esse videtur, quin affuerint ex mandato senatus, qui curabat, ne quid aut patriarcharum religionum mutaretur, aut peregrinarum, nisi ipso iubente, adscisceretur; Becker. Hdb. II, 2, p. 452. Elias enim curae praetori demandatae plura exempla inveniuntur.<sup>86)</sup> Reliqui, οἵς παρεῖναι ταῖς ἱεροφυγίαις θέμις, qui hic fuerint, an servit tantummodo et peregrini prohibiti fuerint (cfr. Paul. Diac. v. exesto, p. 82), non dicam; de flaminica vix cogitandum, quae huic caerimoniae non magis interfuisse videtur, quam aliis, quorum temporibus propter communem religionem aequae sordebat.<sup>87)</sup> Quaerentibus vero, quid causae fuerit, cur a Vestalibus potissimum Argei illi deieci sunt, quum alia plura responderi possint,<sup>88)</sup> tum hoc simplicissimum videtur, nulla fuisse Romae sacerdotia ad urbis universae expiationem magis idonea, quam ea, quae ad universam urbem pertinebant, virginum Vestalium dico, non tam quod „Vesta eadem est et terra“ (Ov. f. VI, 267. Augustin. d. civ. Dei VII, 16), quam quod cum eius numine coniuncta est origo urbis, cuius ea quasi focum amplexa suo delubro Penates populi Romani continebat, atque pontificum, quibus et permagna cum Vestalibus necessitudo erat et summa sacrorum cura, et, ut nobis quidem visum est, quaedam ab initio cum urbis in regiones, populi urbani in tribus descriptione communitas.<sup>89)</sup> Sic a. u. 824 sub principe Vespasiano spatium, quod restituendo Iovis Capitolini templo dicabatur, virgines Vestales aqua vivis e fontibus annibusque hausta perluere, praetor, praeunte pontifice, suovetaurilibus aream lustravit; Tacit. hist. IV, 53. Quid autem mirum, lustrale sacrificium totius urbis eas potissimum fecisse, quarum in sanc-

post dies in Argeorum caerimonia, cui cum illis festis aliquid rationis intercedit, eadem primas partes acturae erant. — Aliam Iduum Maiarum causam excogitavit Klausenius p. 942, a sois nimurum aquae dulcis puteis. (annot. 39) repetitam aestivisque messium caloribus, incipiente secundum kalendariu[m] rustica aestate postridie Non. Mai. exortis Vergiliis (Ov. f. V, 601. Varr. de re rust. I, 28. Columell. d. r. r. XI, 2, p. 431 Bip.). Quantifacias, si quis non minus festive ex hortorum cultura Idibus Martii patrocinetur?

<sup>86)</sup> Liv. XXI, 62. XXV, 1. Cicer. (?) pr. dom. 53, 136 sq. SC. de Bacchanal. (Egger. Lat. serm. vet. rell. p. 127 sq.) — Ludi facendi sunt praetori urbano ex decreto senatus Apollinares, Liv. XXV, 12. (Macrobius. Sat. I, 17, p. 277.) XXVII, 11. 23. XXXIX, 39; eidem piscatorii, Fest. s. v., p. 238; Megalenses, Iuvenal. sat. XI, 193. De Latariibus cum praefecto urbis praetorem urbanum commutasse videtur Vales. ad Euseb. de laud. Const. 13 p. 284.

<sup>87)</sup> Vid. annot. 81.

<sup>88)</sup> Klausen. p. 940 sq.: „Dass die Vestalinne den Gebrauch zu verrichten hat, zeigt, wie er ganz eigentlich in das Hauswesen des Staates gehört. Sie vollzieht ihn, weil sie von Numa, der die Argenplätze bestimmt hat, mit der Sorge für das Wasser beauftragt ist: mit ihr die Pontifices und als Vertreter der bürgerlichen Gewalt die Magistrate, wenigstens die Prätoren.“ De aquae illa cura dixit p. 627 sqq.

<sup>89)</sup> Vid. annot. 81. De aliis sacris, quae una cum virginibus Vestalibus pontifex faciebat, dixit Klausenius p. 930 sq. Nolle modo pontifices curiale sacerdotium fecisset propter Fordicidia, quamvis curiariun in his rationem habitam persuadere videantur Varro d. l. L. VI, 3, 13 (V, p. 55) et Ovidius f. IV, 635; unde pro pontificibus ab Ovidio dictis v. 630 curiones posuit Ambroschius de sacerdot. curial. p. 13. Evidenter vel propter Tellurem, cui ea sacra siebant et magna communitas est cum Cerere, Dea plebeia (Huschke S. T. p. 298), in boum fordarum extra Capitolium post d. III Id. April. caedendarum numero tricenario cogitare malim vel de XXX tribubus Servianis vel de montibus pagisque Septimontii; cfr. p. 23.

titate atque castimonia ipsius urbis salus posita esse videretur? Denique cui Deo factum id Argeorum sacrificium sit, veteres auctores memoriae non prodiderunt, nisi qui pro hostiis humanis vel Diti patri vel Saturno olim immolatis haec simulacra substituta fuisse non falso nostra sententia existimaverunt; quos concilie inter se, si infernum numen utrumque intelligas. Recentiores quidam Tiberinum patrem his antetulerunt, qui etsi aliarum gentium quibusdam ritibus commendatur, tamen ne sic quidem nisi perniciosa ac mortifera et quodammodo inferna eius numinis vis habetur.<sup>90)</sup> Quid, si pontifices pro more vel plures Deos, vel numen illud infernum, quodquod erat, non uno certo nomine invocabant?<sup>91)</sup>

Haec fere sunt de Argeis, quae dicere habui; quae si ad rem declarandam non sufficient, sunt tamen fortasse plura, quam quae huius commentationis modulo convenient. Sed urgentibus sudante prelo operis per horas subsecivas raptim scribenti vel potius collectaneam materiam mediocriter conglutinanti delectum facere non vacabat. Quamobrem in iis, quae supersunt, citra finem propositum subsistere, reliqua ad aliam reiicere occasionem necesse fuit. Nunc, ne omnino trunca disputatione evadat, de iis, quae ad pontem attinent, dicemus, sed brevissime, quia spatii aliquid excursibus quibusdam, qui vocantur, reservari debet. Fiebat igitur, ut ad Varronis dictum redeam, quod p. 6 attuli, in ponte sublico non mediocri ritu a pontificibus sacrum Argeorum, et par erat vel ideo eum pontem curae pontificibus esse. Neque tamen verba „et uts et cis Tiberim“ hoc explicatu continentur; ergo etiam alia sacra circumspicienda sunt. Apud Servium igitur ad Virg. Aen. II, 166 de Palladio et ancilibus disputantem in plenioribus codd. haec leguntur: „Dicunt sane alii unum simulacrum coelo lapsum, quod nubibus affectum et in ponte depositum apud Athenas tantum fuisse, unde et γεγνοτης (Αθηνα) secundum Prellerum a Klausenio p. 150, qui etiam ea, quae a nobis lunulis inclusa in Lioniano exemplo desunt, p. 947 exhibuit. Sed quid Saliorum carminibus cum ista etymologia? Cantari his potuit Palladium sive ancile in pontem delapsum; reliqua grammaticorum sunt<sup>92)</sup> et ab „unde et“ usque ad „appellatos tradunt“ haud dubie secludenda. Res ita se habere videtur: Palladium Atheneis de coelo lapsum in pontem, inde Troiam translatum, Troia Romam; hinc etiam Romae pons sacer is-

<sup>90)</sup> Vid. annot. 31. De Saturno adde, quod secundum Plutarch. qu. R. II Romani τὸν Κρόνον ἡγοῦνται ἐπονθαῖον καὶ χθόνιον, vel ibid. 34 τὸν κάρω θεῶν, οὐ τὸν ἄνω νομίζουσιν. Klausen. p. 862. 864. — Pro Tiberino dixerunt Hartung. Rel. d. Röm. II, p. 104 sq. Rubino Untersuch. üb. d. röm. Verfass. I, p. 215. Woeniger. Sacral-syst. p. 146. Klausenius p. 941 et 943 per plura fluctuantur. — Tiberis Tiberini (regis) sepulcrum, Varr. V, 5, 30 (IV, p. 13); Roma Tiberini (Dei) domicilium, Serv. ad Virg. Aen. VIII, 65.

<sup>91)</sup> Serv. ad Virgil. georg. I, 21. ad Virg. Aen. IV, 577.

<sup>92)</sup> Velut Sabidii, quem in carmina Saliorum commentaria XII scripsisse, colligunt e fragmentis scholl. Veronens. in Virg. Aen. X, 241. Duos praeterea novi Sabidios, alterum, cuius impuritatem carpit Martialis I, 33. III, 17; alterum cognomine Pollionem, (si quidem ex sententia Bentleii, opusc. p. 61 Lips., in vita Arati I, p. 56 Βιογρ. Western., pro Σαβιοῖον scribendum est Σαβιδίον,) quem Arato et Euripidi poetis epistolas supposuisse Apollonides Nicaensis (pro Κηφεῖς enim scribendum Νικαῖος auctore eodem Bentleio p. 71.) temporibus, ut ex Diog. Laert. IX, 109 appareat, Tiberii Caesaris contendebat.

que sublicius; <sup>93)</sup> hinc igitur appellandus pontifex, ut qui praeesset Palladii huius custodiae cum virginе Vestali maxima, quae sola verum ancile a similibus, quae Mamurius fabrefecerat, dignoscebat. <sup>94)</sup> Idem pontifex Idibus Martiis i. e. Mamuraliorum die cum virginibus quibusdam in Regia taurum sacrificabat. <sup>95)</sup> A. d. XIV Kalend. April. „faciunt in Comitio saltu[s] (Sallii) adstantibus pon]tificibus et trib[uno] Cele[r]um“, ut ait Verrius Flaccus in Kalendario Praenestino ap. Orell. inscr. II, p. 386. 409. Denique dubitari potest, an etiam in ponte sublico tripudiasse cum carmine Salios probabile sit, vel quod eo delapsum ancile putaretur, vel quod fluvius pro termino esset; certe aliis in oppidis tale quid factum videtur. <sup>96)</sup> Hoc si vere existimetur, pontificibus, quibus cum his sacris necessitudinem intercedere videmus, praesertim quum Saliaria sacra itidem ad totius urbis expiationem quandam valerent, atque duodenarius utrorumque Saliorum numerus, quippe dimidiatus Argeorum, habeat, quo et ipso quattuor tribuum commonefas, pontificibus, inquam, etiam horum sacrorum causa pontem curae fuisse, non absurdā ratio sit. Sed ulti Tiberim Salios processisse, neque memoriae proditum neque per se credibile est.

Verum a Saliis, quos a Samothracum sacris quidam repetebant, <sup>97)</sup> et a Gephyritide Minerva ad Eleusinia nonnulli mysteria et Cererem Gephyraeum progressi cum Gephyraeis aut Thessalicis quibusdam aut Atticis illis pontifices populi Romani coniunixerunt. Quae res quum mirifice placuerit Klausenio Aen. p. 947 sqq. (cfr. p. 150) multo, ut equidem sentio, doctius quam dilucidius de ea disputanti; mihi adhuc vix digna visa est, quae serio refutetur. <sup>98)</sup> Sed ipsi tamen loci exhibendi sunt. Zosimus igitur histor.

<sup>93)</sup> Quamquam Romanum ancile non in pontem, sed vel in regiam Numae (Dionys. II, 71) vel ante eam (Ovid. fast. III, 358 sqq.), quae fuit propter aedem Vestae (Solin. I, 21. schol. Crug. Horat. carm. I, 2, 15. Plut. vit. Num. 14. Ambrosch. Stud. p. 15. 37), vel in ipsius regis manus (Plut. I. l. 13) deciderat.

<sup>94)</sup> Cum Anonymi Huschkiani dicto, quod p. 4 exscripti, cfr. Ambrosch. Stud. p. 7 sq.; de virginе Vestali vid. Lucan. Pharsal. I, 598. IX, 993. Claudian. in Eutrop. I, 328. Serv. l. l. paul. sup.

<sup>95)</sup> Ioann. Lyd. de mens. IV, 36 εἰδοῖς Μερτίαις..... ἱεράτευον.. ταῦθον ἐξέτη ὑπὲρ τῶν ἐν τοῖς ὅρεαις ἀγοῦσιν, ἥγουμένον τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῶν κανηφόρων τῆς μητρόχου (?). Fest. p. 329: „Salias virgines Cincius ait esse conducticias, quae ad Salios adhibeantur, cum apicibus paludatas, quas Aelius Stilo scripsit sacrificium facere in Regia cum Pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum.“

<sup>96)</sup> Catull. 17, 1: „O Colonia, quae cupis ponte ludere magno  
et salire paratum habes, sed vereri inepta  
crura ponticuli assulis stantis in redivivis,  
ne supinus eat cavaque in palude recumbat;  
sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,  
in quo vel Salisubsi sacra suscipiantur:

manus hoc mihi maximi da, Colonia, risus“ etc.; vid. annot. 45. Salisubsi enim est Mars vel Gradivus pater, ut in illo versu ex Pacuvii Armorum Iudicio: „Pro imperio si Salisubsi vestro excubet.“ Cuius versus auctoritatem defendit Naekius opusc. philolog. p. 107 sqq.; a quo etiam cognovimus Salisubsi Buttmannum contulisse Άλλοπρόσαλλον (Άλλοπρ.). Commemorantur autem Salii Tusculani (Serv. ad Virg. Aen. VIII, 285), Tiburtiae (Serv. ibid. Macrob. Saturn. III, 12. Inscript. Orell. n. 2249 c. annot. Hagenbuchii), Alban (Inscr. Gruter p. CCCXVIII, 1. 2. Orell. n. 2247. 2248). Etiam in titulo Saguntino Salius invenitur ap. Gruter. p. CCCXVII, 9.

<sup>97)</sup> Fest. v. Salios p. 329. Add. Lobeck. Aglaoph. p. 1292. Klausen p. 159. Cfr. annot. 3.

<sup>98)</sup> Ex libro commodum ad me perlato Mercklini Cooptation d. Röm. p. 87 video rem et huic viro probatam et Rückerto Troja p. 293.

IV, 36 sic scripsit: ἐν τοῖς κατὰ τὴν Ἀράμην ἴερατικοῖς τέλεσιν ἔφερον οἱ ποντίφικες τὰ πρῶτα, τούτους Γεφυραῖονς ἀν τις καλέσειν, εἰ πρὸς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν ἡ προσηγορία μετενεγέθείη. ταῦτης δὲ ἔτυχον τῆς ἐπικλήσεως ἐξ αἰτίας τοιᾶσδε. τῶν ἀνθρώπων οὐδέπω τὴν διὰ τῶν ἀγαλμάτων ἐπισταμένων τιμὴν, ἐν Θεσσαλίᾳ πρῶτον ἐδημονογήθη θεῶν δείπηλα· ἐδῶν δὲ οὐκ ὄντων, (ἀγνωστος γὰρ ἦν καὶ τούτων ἡ χρεία,) τὰ τῶν θεῶν ἐκτιντάματα τῇ κατὰ τὸν Πηγειών γε φύρας καθίδρυνσαν, τῶν ἴερασθαι τοῖς θεοῖς λαζόντας ἐκ τῆς πρώτης καθιδρύσεως Γεφυραῖονς ἔξονομάσαντες. τοῦτο παραλαβόντις ἀφ' Ἑλλήνων Ἀραμαῖοι τοὺς πρώτην τὴν παρ' αὐτοῖς ἴερατικὴν ἔχοντας τάξιν ποντίφικας προσηγόρευσαν. Ioannes vero Lydus de mens. III, 21 loco per epitomen contracto: οἱ ποντίφικες οἱ ἀρχιερεῖς παρὰ Ἀραμαῖοις ἐλέγοντο, καθάπέρε ἐν Ἀθήναις τὸ πάλαι Γεφυραῖοι πάντες οἱ περὶ τὰ πάντα ιερὰ ἐξηγηταὶ καὶ ἀρχιερεῖς (διοικηταὶ τῶν ὅλων) ὀνομάζοντο, διὰ τὸ ἐπὶ τῆς γεφύρας τοῦ Σπερχειοῦ ποταμοῦ ἴερατεύειν τῷ Παλλαδίῳ πόντην γὰρ οἱ Ἀραμαῖοι τὴν γέργηναν καλοῦσι καὶ ποντίλια τὰ γεφύρια ξύλα. ὅθεν καὶ πραξιεργίαι δῆθεν ἐκαλοῦντο, ὥσανεν τελεσταί· τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ ποντίφες, ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ ἐν ἑργοῖς.<sup>99)</sup> Zosimus incognita tradit; Lydi verbis nihil potest esse confusius. Primum enuntiatum, nisi in tanta vel auctoris vanitate vel breviantis insectitia etiam ineptissima quaeque ferenda sint, emendaverim transponendo verba καθάπέρε ἐν Ἀθήναις τὸ πάλαι Γεφυραῖοι ἀντe verbum ὀνομάζοντο. Qui autem sic quoque remanet amnis Thessalicus Sperchens, ex Peneo Zosimi ortus videtur, non hieratica appellatione dictus pro Cephiso, sed ab halucinante cum hoc ipso confusus, apud cuius pontem id, quod Servius et scholiastæ ad Virg. Aen. II, 166 memorant, Palladium delapsum scripsit Phylarchus ap. schol. Aristid. p. 103 ed. Frommel. Neque vero Minervae Gephyritidis sacra procurasse Gephyraei apud alios auctores traduntur, sed Céreris Achaeæ. Quæ fortasse eadem vocata erat Gephyraea (Etymolog. Magn. v. Γεγνητεῖς. Steph. Byz. v. Γέργηνα ex emend. Meursii. Lobeck. Aglaoph. p. 1225); nisi differunt Γεφυραῖοι, gens Attica ab antiquo Tanagrae nomine, et Γεγνητεῖς, pagus Atticus a Cephissi ponte, quem accolebat, appellatus. Pontem vero illum in Cephiso, per quem in via sacra pompa Eleusinia ducebatur, (διὸ οὓς ἐπὶ Ἐλευσίνα κάτεσσιν οἱ μύσται), faciendum sacro munere Gephyraeis fuisse, nemo tradidit; immo gentilicia Gephyraeorum sacra fuere.<sup>100)</sup> Sed Romam redeamus.

<sup>99)</sup> De extrimo enuntiato iam dicta a nobis supra quedam sunt annot. 3. Quorum etsi nunc partim poenitet, inspe-  
toque Prellerri libro, qui inscriptus est Demeter und Persephone, p. 393, non dubitamus, quin iam ante verissima  
emendatione a Bosslero, nisi fallor, (nam huius de gentibus et familiis Atticae sacerdotalibus librum inspicere  
non licuit,) πραξιεργία mutatum sit in Πραξιεργίᾳ, agnitiq[ue] sacerdotes Minervae Poliadis; tamen sive cum  
Gephyraeis confudit Praxiergidas, sive cum pontificibus vel a ponte vel a posse et facere dictis, ut mihi vide-  
tur, sive tantum ιερεῖς τοὺς simul audiendi sunt, ut Preller, ne sic quidem miser Ioannes desinit ineptire. V. add.

<sup>100)</sup> Herodot. hist. V, 57: Αθηναῖοι δὲ σφετες (Gephyraeos) ἐπὶ ὅριοις ἰδέσσετο σφέων αὐτῶν εἶναι πολυήπατα, πολλῶν  
τείων καὶ οὐκ ἀμαρτηγήτων ἐπιτάξαντες ἔργεοθα (i. e. εἰργεσθα, ut Klausenius annotavit p. 948, non ἔργαζεσθα,  
ut visum Preller D. u. P., p. 394, qui quum pontem illum in Cephiso faciendum in illa ἔργα referret, ponti-  
fices quosdam Atticos effuxit, ceteroquin Klausenio prudentior.). 61: καὶ σφι ιόδι ἐστιν ἐν Ἀθήναις ιδομείνα,  
τῶν οὐδὲν μέτα τοῖς λοιποῖς Αθηναῖοι, ἄλλες τε κεχωρισμένα τῶν ἄλλων ιόδι, καὶ οὐδὲν Αχαιοῖς ἀημηρός ιόδι  
τε καὶ ὄργα. De Gephyraeis plurima veterum auctorum dicta commemorarunt Prellerus Dem. u. Pers. p. 363.  
392 sqq. et Klausenius Aen. p. 947 sqq. Gephyritismi vocabantur convicia, quibus homines vel mendicantes vel  
otiosi pompam spectantes vel scurræ sannionesque personati id ipsum agentes in eo ponte nobiles mystas la-  
cescebat; de quibus vid. Valckenar. animadvers. ad Ammon. III, 13. Preller. D. u. P., p. 100.

Uls Tiberim pontifices Carnae Deae sacra in lucum Helerni ferrebat (Ov. fast. VI, 106. Merkel. p. CXLVIII sq.). Hand procul a Fonti ara rex Numa sepultus fuit, i. e. uls Tiberim in Ianiculo (Cic. de legg. II, 22, 56. Dionys. ant. II, 76. Plut. vit. Num. 22. Liv. XX, 29. Valer. Max. I, 1, 12. Plin. hist. nat. XIII, 13, 27. Fest. v. Numam, p. 173. Solin. I, 21.). Fortis Fortunae plures aedes trans Tiberim fuere, de quibus vid. Becker. Hdb. I, p. 479 sqq. Preller. Region. d. St. Rom. p. 216. Furrinae Deae feriae publicae institutae a. d. VIII Kal. Sextiles flamengue attributus apud antiquos fuit; eius Deae in lucum ex monte Aventino perveniebatur per pontem sublicium (Aurel. Vict. de illustr. vir. 65. Plut. vit. C. Gracch. 17. Appian. bell. civ. I, 26; Varr. VI, 3, 19 (V, p. 56). Cic. nat. Deor. III, 18). Denique vicus Larum Ruralium huc refertur. Becker. Hdb. I, p. 655 sqq. Preller. Reg. p. 246. Etiam has ob res apparet interfuisse pontificum, ut pons conservaretur. Per hunc antiquitus iter erat in Tuscos, hostes eosdem et religionum caerimoniarumque magistros; hinc quoque in partem religionis pons veniebat. Religiosum videbatur, quod sine ferreo clavo contignatus erat; dissolvere eum, inferiori quidem aetate nefas erat; in prodigiis habebatur, quoties aquarum impetu interruptus est.<sup>101)</sup> Denique Dionysius I, 38 et III, 45 hand dubie ἵσπαν γέργυραν appellavit. Ac postquam exstructus lapideus pons Aemilius certiore eidem urbis celebritati minusque obnoxium fluctuum violentiae commeatum praestitit, pontem sublicium, quem Antonius Pius imperator restituit, quemque, si Iulii Capitolini id referentis, vit. Ant. P. 8, verba ad vivum resecanda sint, etiam Diocletiani aetate exstitisse credas,<sup>102)</sup> sacrorum tantum causa conservatum videri, admodum probabilis sententia Beckeri est, Hdb. I, p. 697. Denique fuerunt nuper, qui pontium religionem eo exstitisse dicerent, quod ponte facto vincula Deo flvio imponi visa sint isque potentiae suae parte privari; quod ne indignus ferret, ferrum prohibitum hostiasque ultro oblatas, velut Argeos; Rubino Untersuch. I, p. 215. Klausen. Aen. p. 945 sq. Pfund. altital. Rechtsalt. p. 260. Graecorum poetarum sententiis, Aeschyli potissimum et Homeri, Klausenius eam opinionem confirmavit; Italicae veteres auctoritates adhuc desiderantur. Nescio equidem, an etiam commodius pontium religio ad auguralem disciplinam relata foret; nam pro termino fluvius est, et augurium, ut Servius ait ad Virg. Aen. IX, 24, „aqua intercessu disrumpitur;“ quapropter perennia siebant auspicia, pro quibus quod permarina non erant, id fortasse cum aliis causae erat, ut pontifex maximus sacrorum cura in Italia retineretur.

<sup>101)</sup> De ferro vid. p. 7 c. ann. 13. — De prodigiis Dio Cass. hist. XXXVII, 58. L, 8. LIII, 33. LV, 22. Tacit. hist. I, 86; quamquam etiam aliis de pontibus relatum est Liv. XXXV, 21. Iul. Obsequ. prodig. 75. 12<sup>o</sup>. 123. — οὐ γάρ θεμιτόν ἀλλ᾽ ἐπάρχοντος ἡγεῖσθαι Τρωμαῖον τὴν κατάλυσιν τῆς Ἑνίδην γεφύρας, Plut. vit. Num. 9; antiquis tamen temporibus id licuisse, tum Horatii Coelitis exemplo notissimo appetat, tum iis, quae ab Dionysio et Plinio dicta annot. 13 attulimus.

<sup>102)</sup> Atque etiam Constantini, siquidem Prellerus Reg. p. 223 recte existimat, pontem sublicium, qui in Descriptione urbis Constantinopol. reg. XIV commemoratur, factum esse, ut hoc quoque nova Roma veteris similitudinem referret. Sed apud Servium quod legitur ad Virg. Aen. VIII, 646: „sublicium pontem, id est ligneum, qui modo lapideus dicitur,“ id interpolatum est, quum verba „q. m. l. d.“ a plurimis libris absint; certe non est sanius, quam quod de ponte Fabricio est ap. schol. Crug. Horat. sat. II, 3, 36: „qui nunc lapideus nominatur.“ Quo tempore Serviana illa scripta sunt, pons sublicius non amplius exstitisse videtur; atque omnino post Servianum saeculum i. e. Theodosianum cum ipsis sacris antiquis etiam pontem vetustate nobilis prolapsum putamus. Apud Macrobius, Servii aequalem, Sat. I, 11 quod scriptum est: „ponte qui nunc Sublicius vocatur,“ non Macrobii, sed Epicadi verba sunt; vid. p. 9. 12. Cir. Becker. I, p. 695 sq. Preller. p. 223. 245.

Haec fere sunt, quae ad declarandam Varronis sententiam, qua pontifices a ponte faciendo dicti existimantur, aut allata ab aliis invenimus aut ipsi duximus afferenda. Quae sententia quum etiam nostra memoria egregios nacta sit vindices, in quibus Klausenium, Huschkium, Rubinonem nominasse sufficiat, etsi persuaderi tibi non potuerit, tamen dissentire cum tantis viris in re ancipi merito verecundaris. Si quis obiciat, levius esse istud pontis faciendi munus, quam a quo tam amplum sacerdotium denominari satis apte potuerit, praescriptum est a Rubinone p. 215 sq., summam sacerorum omnium curam, ubi primum ea opus esse intellectum, ita mandatam videri antiquo, quod iam exstaret, sacerdotio, ut quum caerimonii quibusdam ipso nomine indicatis praefuisse, maiori iam praeficeretur muneri adiectisque collegis amplificaretur. Cur autem huic potissimum sacerdotio, divinandum reliquit. Klausenius vero, ubi dixit p. 928, Romanos, vel imperii potestate fretos vel sacerorum incuria abductos et Graecorum tum libris tum philosophis circumfusos, ipsos, ut Cicero ait amicum laudibus extollens acad. post. I, 3, 9, in sua urbe peregrinantes errantesque, tanquam hospites Varronis libris quasi domum esse deductos, id sane videtur parvi pependisse, quid fuerit, quod pontifex maximus Q. Scaevola, divini humanique iuris auctor celeberrimus, quem summis honoribus florentem ipse Varro adolescens vidit, repudiata facilissima, quae ad manum erat, munera sui notatione, aliam excogitandam putarit; sive id artis etymologicae ruditati tribuit, quae certe non minor in Varrone fuit, sive antiquitatis ignoracioni, quae ab auctoritate, sive superbiae, quae a moribus hominis abhorruisse videtur. An quis credat, nescisse pontificem maximum, pontis sacri refectionem ad pontifices pertinere? Volut autem a parte posteriori factam denominationem. Et has quidem in dubitationes iam alios adductos video; mihi illud quoque mirabile accedit, quod non solum in coloniis municipiisque urbana instituta imitantibus, sed in ipsis illis antiquissimis oppidis Latinis, inter quae urbis incunabula constituta fuerunt, pontificale sacerdotium deprehenditur, hisque, quibus propter situm aut nulli pontes aut per exigui suisse videantur. Servius ad Virg. Aen. VII, 678 de Praeneste scribit: „Ibi erant pontifices et Dii Indigetes sicut etiam Romae.“ Inscript. Orell. n. 106: „C. Sallio C. f. Quir. Proculo splendidissimo viro II qq. patrono decurionum et populi Amit. sacerdoti et pontifici Lanivorum inmuni“ etc. N. 2156: „L. Dudistio L. f. Vol. Novano pontif. Laurentinorum orn. flamini colon. Aquen. exorn. praef. alae Hispan.“ etc. N. 3420: „D. M. Cn. Iuli Cn. fil. Donati Prisci ex equo public. adiutoris haruspicum imperatoris pontificis Albani.“<sup>103)</sup> Mittamus enim, quod extremis imperii temporibus plurimi sacerdotes atque antistites coepit sunt appellari pontifices, velut Dei Solis, Vulcani, Vestae, domus Augustae, aedium sacrarum, all.; itemque a saeculo quarto episcopi Christianorum. Itaque mihi videntur ii proprius abesse a vero, qui sacri alicuius notionem vocabulo per vetustatem oblitterato in parte priore pontificii nominis expressam esse sibi persuaserunt. Quae vero ea notio fuerit quodve vocabulum, variis coniecturis disceptatur, quas, nullo nostro interposito iudicio, paucis referemus. Goettlingius Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 173 pontifices ait esse pompifices i. e. a pompis faciendis.<sup>104)</sup> Doe-

<sup>103)</sup> Praeneste, Lanuvii, Albae, Tibure, Tusculi etiam plura sacerdotia Romana inveniuntur; de Salis vid. annot. 96; de Vestalibus Inscr. Orell. n. 2239. 2240. 3701. Symmach. epist. IX, 128. 129. Marini atti de' fratelli Arvali p. 6. 22. 654. 663. 791; de aliis quibusdam Ambrosch. Stud. u. And. p. 73.

<sup>104)</sup> Guil. Reinius, vir litteratissimus, in Pauly Realencyclop. v. pontifex, t. V, p. 1884 hanc etymologiam aliud agens Zosimo tribuit.

derleinio lat. *Synonym. VI*, p. 276 pontifex est i. q. *putifex*. Postquam intellectum est, lingua Osca pompe, Umbrica pompe significare quinque, et in tabula Bantina v. 15 verba „neip mais pomtis“ Mommsenius Corsseniusque interpretati sunt „neque magis (plus) quinque“, coepaque sunt nomina Pontius (Mamertine Ποντίες), Pompilius (Pontilius), comparari cum iis, quae sunt apud Romanos Quinctius et Quinctilius, (cfr. Georg. Curtius in Ztschr. f. d. Alterthumsw. 1847 n. 62, p. 491 sq.); exstitit Th. G. Pfundius, qui in libro inscripto Altitalische Rechtsalterthümer p. 212, numeri quinarii religione quadam permotus, pontifices contendit dictos esse quasi quinquifices. Denique ab Ernesto Foerstmanno, doctissimo homine et collega suavissimo, cognovi, meminisse se (altius enim in hoc terrarum angulo indagari res non potuit), eorum virorum, qui linguae Sanscritae lumine alias plurimas collustrant, quandam exponere rationem, qua pontifex sacerdos is nominari potuerit, qui sacra purificantia sive lustralia ficeret. Quod sane ad Doederleinii opinionem accedit. Rem autem sic se habere: verbi radicem esse \*pū, ab hoc fieri I pers. praes. act. pūnām̄ i. e. lustro, purifico, et thema participii praes. \*pūnant; id vero elisa vocali a mutataque u in o legitime abiit in \*pont. Deinde participia saepe evadere nomina substantiva, quod vulgo notum, atque etiam de monosyllabis quibusdam sic statuendum, ut e. g. sit sons i. q. fundens, pons (*γέγνωσ*) i. q. pendens, mons i. q. muniens (Berg, Burg), mens quasi \*menens (cfr. memini, reminiscor etc.) German. meinend, sons fortasse i. q. Graece σύνης, Σίνων. Ipsam vero radicem illam etiam per Latinam linguam surculos emissee, cuius generis sint purus, putare (putzen), poena, punire. Itaque haec sibi ex ordine respondere vocabula: munio, moenia, murus, \*mont thema, a quo mons; punio, poena, purus, \*pont thema, unde pontifex.

### Addenda et Corrigenda.

Pag. 6 annot. 3. De Ioannis Lydi loco vid. annot. 99 cum addendis †. P. 8 l. 13 Romanorum †. P. 8 ann. 18. Add. Suidas v. ποντίας †. P. 9. ann. 23 extr. Add. Becker. Hdb. I, p. 699 †. P. 12. ann. 36. Santræ reliquias edidit etiam Eggerus Lat. serm. vetust. reliq. p. 18—21 †. P. 12 ann. 37. Argaeus libertorum sub Caesaribus nomen exstat ap. Gruter. inscript. p. XX, 5. CCXLII. DCXIX, 10. DCCCVIII, 3. Herois nomen ap. Iustin. hist. XIII, 7 non videtur esse incorruptum †. P. 12. ann. 38 l. 4. „Argivi“ vitiōse expressum est pro „Argiva“ †. P. 13 ann. 38 l. 1. Add. Hygin. fab. 72. Idem fab. 14 p. 44 Stav. Argiam Argi matrem, qui Argo navis fabricator fuit, et fab. 145 Argiam matrem Ius commemoravit. — I. 5. De Argio statuario add. Walz. in Pauly Realencyclop. I, p. 723. Affiri poterat etiam qui ap. Plutarch. vit. Galb. 28 nomine proprio Ἀργεῖος δακτυλοθέος dicitur, ap. Tacit. hist. I, 49 dispensator Argius et prioribus servis †. P. 15 ann. 48. Sinnii Capitonis fragmenta collegit etiam Eggerus I. l. p. 62—67 †. P. 19 l. 2. Pro DCVII lege DCLVII †. P. 22 l. 8. Cfr. Ambrosch. de sacerdot. curial. p. 15, annot. 29 †. P. 22 ann. 76 l. 5. De voce ἀργός cfr. Preller. Demet. u. Perseph. p. 283, qui maritimi notionem neglexit †. P. 24 ann. 81 l. 12. De numero pontificum iam exstat similis sententia Huschkii S. T. p. 63; qui liber tum scribenti non erat praesto, nec omnino nisi per intervalla †. P. 29 ann. 96. De Marte Salisubculo dixit etiam Marinus atti p. 605 †. P. 30. ann. 99. Lydi locus sublevabatur legendu: η ἀπὸ τοῦ διατοῦ ὁ γάρ. — Idem de magistrat. II, 4 ποντίας ἀντὶ τοῦ ἀργεῖος γεγράπειος. I, 35. ποντίας ἀντὶ τοῦ ἀργεῖος γεγράπειος. I, 38 et 45 ἰεροράτας, de mens. IV, 36 αρχιερέως †. P. 31 l. 23. Non debeo tamen celare auctoritatem eius, quisquis est, cuius verba retulit Suidas v. ποντίας, οἱ μέγας παρὰ Ρωμαιοῖς λέγεται, ὃ Νομᾶς ὁ Ρωμαῖον νομοθέτης κατεστησεν, ἥντα βασιῶν θεόματοι φρεόμενος οἱ Θύραι τὸ πρεσβύτερον ζεῦγμα θάμβανεν, εὐχάς γάρ οντος πρὸς τὸ ποταμὸν μελικητρίους ποιησάμενος, μὴ διαξῆναι τὴν γέγνωσ, ἐπειδὴ τὸν ποταμὸν ἡσυχῇ καὶ εὐτάκτῳ ἀνασχίζει τὸν ζεύγματος. — P. 32. l. 9. Huschkii p. 63 scribenti, loca sacra potissimum pontificibus curae fuisse resque sanctas et in his maxime pontem sublicitum, per quem iter esset e Latio in hostilem ab omni tempore Etruriam, ideoque in hoc salutem republicae sitam esse visam et propterea Argos ab eo pro pontificibus delectos, etsi de singulis litigare nolim, tamen pontificum appellandorum eam idoneam causam fuisse non magis concesserim, quam omnino intelligo, quam quis, non dico ad grammaticam, sed ad vitam quotidiam remque ipsam (non enim sunt quotidiani pontes) satis apta a ponte faciendo pontifex appellari debuerit. Apud Varronem autem d. l. L. V, 36, 180 (IV, p. 49), nondum mihi persuasi, non esse veram emendationem Augustini et Pithoei pro „ad pontem“ scribentium „ad pontificem“.

## Excursus I.

De pontificum originatione adversus pontificem maximum  
disputatur a grammatico.

Potentiae verbum compositum, non simplex esse, praeterquam quod vel tirunculi satis intelligunt, multis apparet locis, quos attulerunt Seyfertus latein. Sprachlehre II, p. 372 sq. V, p. 183 sq. Struvius ab. d. lat. Declin. u. Conjug. p. 284. Sed fac illi ipsi sive adverbio sive nomini adiectivo, quocum compositum est verbum substantivum, et a quo ductum est verbum potiendi, aliquod subfuisse ab initio verbum primigenium, idque fuisse litterae epentheticae capax, quamquam hoc singitur citius quam creditur, (quod enim apud Varro nomen legimus d. l. L. V, 1, 3 (IV, p. 4): „recto casu quom dicimus impos, obscurius est esse a potentia, quam quom dicimus impotem, et eo obscurius sit, si dicas pos, quam impos; videtur enim pos significare potius pontem, quam potentem“, id plane contrarium est pertinetque ad litteram n sequente sibile vel admissam vel omissam, de qua copiose dixit, ut alios praeteream, Cour. Schneiderus Gramm. d. lat. Spr. I, p. 456 sqq.): sed fac ita fuisse, tamen antiquae linguae ea lex erat, ut littera illa epenthethica vel intra actionis infectae formas se contineret, ut sindo fidi, tundo tutudi, frango fregi, rumpo rupi, \*cumbo \*cubui; vel certe intra solius verbi fines, ut iungo iunxi iunctum, lambo lambi iambitum; in nomina cognata et composita non commigraret; nisi quod postrema linguae viventis actas in propriae originis ignorationem delapsa indulgere sibi vitia coepit. Exemplum eius legis maxime hoc pertinet Deae antiquissimae nomen Vicae Potae a vincendo atque potiundo ductum (Cic. de legg. II, 11, 28. Liv. hist. II, 7. Plut. vit. Poplic. 10. Senec. apocoloc. p. 852), neque confundendum cum iis, quae indigitamenta aliquanto recentiora a victu potuque sinixerunt (Arnob. adv. nat. III, 25). Accedunt tudium tuditumque et tudicularum nomina et tuditandi ac tudiculandi verba cum comicis illis fustitudinis insulis ap. Plaut. Asinar. I, 1, 21; accedunt bisfidus, naufragus, legirupa, incubus, lugum, labium, quae pluribus augere supervacaneum est. Itaque Dea Pertunda ap. Tertullian. ad nation. II, 11. Arnob. adv. nat. IV, 7. Augustin de civ. Dei VI, 9 aut novitium figmentum est, sicut flagitiosissimum cunnilingorum nomen, aut eodem sive scriptorum sive scribarum errore dicta, quo infundibulum nonnullis praestare visum est infundibulo, et coniux recto easu quam parum docte diceretur, ne ipsis quidem casibus obliquis admoneri se passi sunt, vanis rationibus contenti, ut Priscianus inst. gramm. VI, 18, 93. VIII, 1, 5. Nucifrangibulum ap. Plaut. Bacch. IV, 2, 16 et dentifrangibulum ibid. 14 et 23 condones licet servulis comicis ex tempore conviciantibus, versus certe fragibula utraque facile ferunt, quea sunt iustiora. Lingere quo verius referunt ad λείγειν et λεγασθαι, eo magis est dubium, an non sit inde vocata lingua, de qua deminutam lingulam aliqui tamen scripsere ligulam, praesertim quod dinguae olim dictae (Mar. Victorin. de orthogr. p. 2457. 2470) respondent Anglice vocata tongue, Germanice zunge. Itaque non verius inesse dicitur potentiae verbum in pontificum nomine, quam Varro V, 32, 145. VI, 5, 41 (IV, p. 40. V, p. 62) angiportus et angulos ab agendo duxit. Sed negligamus litteram epentheticam et vetustissimae origini vel invitae obtrudamus posterioris aetatis licentiam, tamen, quum nominum Latinorum compendorum ea ratio esse soleat, ut specialis notio antecedat generalem, ii, quibus faciendi potestas esset, inverso ordine dicendi erant faciotes, quamvis sit duriusculum, non potifices. Hi enim sunt, qui, quod potis est, faciunt, seu possibilia facientes; quemadmodum vocantur artifices, aurifices, carnifices, mellifices, munifices, opifices, significes, vestifices, quorum nominum prior queaque pars accusativi vim habet; qua ratione possit nonnemo potis facientes opponere satis facientibus; vel sunt, qui, uti potis est, faciunt, ut prior pars adverbii loco sit, ut benefici, malefici, nisi potificos eos potius quam potifices ex analogia dicendos putet, cfr. exc. III. Utroque autem modo res ad alteram illam Plutarchi notationem (vid. ann. 3)redit, quam qui non magis ineptam quam calliditatem quadam non voluntaria iucundam dixerit, satis super-

que laudavit. Qui vero, ut vites laetificae eadem lactae dicuntur, vastifica bellua vasta, domus instructa regifice instructa regie, quae vereor ne non sit omnino vera Kühneri opinio ad Cic. Tuse. I, 28, 69, ita potifices dici potuisse putet, is rursum potificos efficiat, eosque ipsos Deos immortales, non Deorum sacerdotes. Porro quod a Nicolao Methonensi in refutatione institutionis theologicae Proculi Platonicis 78, p. 105 Deus Filius dictus est δύναμις δύναμοποιός, eius vocabuli et vim et rationem longe diversam esse ab eo, de quo quaerimus, facile cuivis appareat. Denique potifices illos Mucianos si quis properterea, quod possint facere, a potestate appellari eadem ratione potuisse existimet, qua Graeca vocabula a voluntate facta sint ἐθελόδοντος, ἐθελόποντος, ἐθελοθρησκετος, alia, is primum teneat, liberiorem Graecis esse quam Latinis verborum componendorum rationem, deinde vero ἐθελόδοντον non tam eum dici, qui ἐθέλει δονλενειν, quam qui δονλενει ἐθέλων, et itidem reliqua; pontificem ergo dicendum fuisse, qui faceret quia posset, δύναμενος sive δύνατος ὁν, quae appellatio vereor, ne a vero non proprius quam a ridiculo fuissest absfutura.

Dandum hoc putavi pontificis maximi auctoritati in quaestione pontificali, ut pluribus, quam opus fuisse plerisque videbitur, sententiam eius redarguerem, etiamsi de lana caprina rixatus dicerer. Quod autem pronuntiavi, in nominibus Latine compositis ita collocatas esse notiones, ut generalem notionem antecedat specialis, ideoque eam partem, quae casus accusativi vim habeat, priore loco poni, id exemplis quibusdam, quae primo adspectu contraria esse videantur, explicandis confirmatur eram, nisi iam chartae parcendum fuissest propter caritatem typothetarum. His igitur in aliud tempus ac, si Diis placet, in Kalendas Graecas remissis, adhuc me unum tantummodo, quod sit vere contrariae eiusque Graecae rationis, exemplum invenisse profiteor in hoc versu, quem ex Pacuvii Hermione attulerunt Cicero de orat. II, 44, 187 et Nonius Marcellus p. 113 Merc.:

„O flexanina atque omnium regina rerum oratio.“

## Excursus II.

### Pontificium i. q. potestas, ius, facultas, munus.

Gellius noctt. Att. I, 13: „Sunt enim non pauci, qui.... re semel statuta deliberataque ab eo, cuius negotium id pontificiumque esset, nequaquam putaverint, contra dictum eius esse faciendum.“ In nonnullis exemplis pro „pontificiumque“ est „potissimum“; quidam coniecit „consillumque“. — Solinus polyhist. 16 (26) de Hyperboreis scribent: „Aunt etiam solitos per virgines probatissimas primitiva frugum Apollini Delio missitare; verum hae, quoniam perfidia hospitum non illibatae revenissent, devotionis, quam peregre prosequebantur, pontificium mox intra fines suos receperunt.“ — Chalcidius comment. in Platon. Timaeum p. 97 sq. ed. Meurs.: „Effecti operis pontificium et auctoritatem manibus magis quam dispositioni mentis solemus adscribere.“ — Id. ib. p. 192: „Illud vero, quod a meditullio porrecta anima esse dicitur, quidam dici sic putant, ut non tanquam a medietate totius corporis facta dimensione porrecta sit, sed ex ea parte membrorum vitalium, in quibus pontificium vivendi situm est, ideoque vitalia nuncupantur.“ — Codex Theodosianus VIII, 18, 1 in constitutione Constantini Aug., ann. Chr. 319: „Res, quae ex matris successione fuerint ad filios devolutae, ita sint in parentum potestate atque domino, ut fruendi pontificium habeant, alienandi eis licentia derogetur.“ — Ib. XVI, 1, 3 in constitutione Theodosii, a. Chr. 381: „Omnes autem, qui ab eorum... fidei communione dissentiant, ut manifestos haereticos expelli, neque his penitus posthac obtainendarum ecclesiarum pontificium facultatemque permitti.“ — Ib. XVI, 7, 2 in constit. eiusdem, a. Chr. 383: „Et indubitate ab omni testamentorum debeat non solum condendorum, sed etiam sub adipiscendae pontificio hereditatis usurpandorum potestate excludi“ (apostatae). — Ib. XVI, 12, 3 in constit. eiusd. notha, ante a. Chr. 385: „Quare

laudabilis auctoritas tua“ (Optatum praefectum Augustalem compellat,) „arbitrio temperato, quidquid negotiorum aliunde incidet, habituro pontificium sacrae disceptationis Timotheo episcopo“; agitur autem de foro episcopali in causis tum saecularibus tum ecclesiasticis. — Locus Cod. Theodos. XVI, 5, 13 perperam ad hanc vocabuli vim referunt, neque rectius Prosperi Aquitani de gratia 1, 2. — Symmachus epist. III, 17 ad quendam Gregorium, praefectum vigilum, si recte suspicor ex epist. 18, eundemque, ni fallor, ann. 377 praefectum annonae (Cod. Theod. XIV, 3, 15), a. 382 praefectum praetorio Galliarum (Sulpic. Sever. hist. sacr. II, 63, al. 49) a. 388 episcopum Illiberitanum, a. 423 vita defunctum (Horn. ad Sulp. Sev. l. l.): „Habeo expostulandi tecum probabiles causas, quandoquidem pontificio iterati honoris auctus“ (praefectura illa vigilum, puto, post praefectoram annonae, quarum de ordine cfr. Cod. Theod. II, 17, 1; male nonnulli ediderunt „literati“;) „nullum mihi indicium communis gaudii praestitisti.“ — Id. ib. VII, 27: „In tuo enim iure est“ (filius meus), „tuus monitis adquiescit; quod quidem fieri oportere consentio, sed non eatenus, ut pontificium tuum in damna nostra protendas.“ — Id. ib. X, 51, al. 44, conquestus in praefectura urbana a. 384 apud Theodosium Aug. contumaciam et violentiam Valeriani: „Cum viderem, rursus illudi posse iudicis, si quid severius censuisse, factu optimum credidi, ut aeternitati vestrae causae istius pontificium reservarem.“ — Arnobius, qui sub Diocletiano principe in Africa floruit, adv. nation. II, 65: „Ut enim Dii certi certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates, neque eorum ab aliquo id quod eius non sit potestatis ac licentiae postulatis, ita unius pontificium Christi est dare animis salutem et spiritum perpetuitatis apponere“ (alii minus bene „pontificis“). Similiter iam Tertullianus dixerat, de carne Christi 5, Marcionem haereticum sublata humana Christi natura facere eum „non salutis pontificem, sed spectaculi artificem.“ Quamquam neutri dixerim non obversatam illam Christi ἀρχηγέως notionem, in qua illustranda multus est in Novo Testamento auctor epistolae ad Hebraeos. — Fuit etiam alter Arnobius, saeculo V, commentarii in Psalmos auctor; is comm. in Ps. 68 (69), 13 ad Christum omnia dicta trahens: „Adversum me exercebantur sacerdotes; ipsi in portis eliguntur sedere, sicut Hieremias dicit“ (26, 10 sqq.), „oderunt arguentem: in portis ergo hi accipiunt pontificium iudicandi et corripiendi, quasi, qui claves civitatis teneant, in portis sedere memorantur.“ — Idem in Ps. 108 (109), 9: „Sed uxori“ (diaboli) „est potestas incredulitatis, quae dabant pontificium dominandi sacerdotibus templorum sive synagogae seu haereticorum ecclesiis; haec potestas deicto diabolo efficit vidua, ita ut anathemati filii eius ciliciantur, ut mendicent.“ — Petrus Chrysologus, episcopus Ravennae 433—451, sermon. 5, ad Lucae euangel. 15, 11, mystica ratione locum interpretans: „Hic ergo homo, pater hic duos filios habuit, conditoris pontificio, non necessitate generantis.“ — Gelasius papa, 492—496, epist. ad episcopos orientales, in Iac. Sirmondi Appendice Codicis Theodosiani, p. XXXVI ed. Ritter.: „Cum nec examinandi ant recipiendi eum haberet ipse pontificium“ etc. — Plura huius usus apud inferioris actatis scriptores qui indicari sibi volet, adeat Iuretum not. ad Symmach. epist. VII, 27 et Du Cangium glossar. med. et infim. Latinitatis s. v., quibus nos quoque eorum, quae, quod inaccessa plerisque viderentur, diligentius exscripta a nobis sunt, indica accepta referre debemus; a quibus sumserunt etiam Gothofredus ad Cod. Theodos. VIII, 18, 1 et Gronovius ad Liv. XXVII, 8, 8. Alios, qui de hac huius vocabuli significatione scripserunt, viros doctos nominavit Io. Andr. Bosius, de pontifice max. Rom. vet. 4, 1. Gesnerus in Thesauro ling. Lat. s. v. citavit etiam Barthii adv. CXXXII, 10, quem locum reperire nondum potui.

### Excursus III.

#### De pontificibus non dicendis, qui in ponte faciant, quaedam analogica.

Nomen compositum in syllabam fex desinens, cuius pars prior casus ablativi vim habeat, nondum mihi occurrit, neque etiam adverbii eam syllabam adhaesisse video. Nam forfex mea quidem sen-

